This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

ZEC

Nlai

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SPICILEGIUM ROMANUM.

TOMUS V.

APPONIUS IN CANTICUM. FAUSTI, FAUSTINI, ARNOBII, S. CYRILLI, LAURENTII EPISCOPI ET ALBERICI DIACONI SERMONES. EPISTOLAE VETERES, ET CODICUM AMPLA NOTITIA. STEPHANUS IN PROGNOSTICUM HIPPOCRATIS. EUSTATHIUS AD HYMNUM S. IOH. DAMASCENI. ZONARAE, PRODROMI, ET NICETAE, SPECIMINA. CHORICII RHETORIS SCRIPTA.

ASTOR LIBRARY NEW-YORK

ROMAE
TYPIS COLLEGII URBANI
M. DCCC. XLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

EDITORIS PRAEFATIO.

I. Quintum iam Spicilegii romani procedit volumen, re varia et bona, ut spero, refertum; in quo primum locum tenet Apponius, de quo breviter praefandum est. Apponium cum saeculi noni scriptoribus collocaverat Bellarminus; sed Labbaeus Bellarmini censor atque ampliator ad extremum sacculum septimum idcirco Apponium retraxit, quia is nominatim laudatur a Beda in suo ad Canticum commentario; quam opinionem gregatim secuti sunt Fabricius, Cavaeus, Ceillerius, egoque ipse in scholio p. 1. Et Labbaeus quidem digitum intendit ad Bedae librum IV. cap. 25, quod indicium nihil dubitans Cavaeus exscripsit. Revera tamen Bedae verba de Apponio leguntur lib. II. sub finem ed. Colon. T. IV. p. 745. col. 2. his verbis: " Appo- „ nius hunc versiculum ita exponit, quod ficus pro- „ tulerit grossos suos, cum synagoga procreavit apo- „ stolos, qui de ea generati dulcissimum cibum doctri- „ nae credentibus ministrarent. „ Qui locus est apud nostrum Apponium in edito libro IV., bibliothec. lugdunens. Patrum T. XIV. p. 120. col. 1. Verumtamen ne Labbaei quidem sententia mihi nunc placet. Etenim Beda qui extremo saeculo septimo iam et ipse florebat (senex quippe paulo post annum DCC.XXX. defunctus est) coaevum auctorem neque adhuc vulgo receptum vix, credo, laudasset. Sed me maxime movet id quod nemo ut puto consideravit, epistola nempe Apponii ad Armenium presbyterum, cui suam is Cantici explanationem misit. Nam cum ad Armenium Agnellus quoque ravennatensis episcopus, quem medio saeculo

Apponius in Cantica.

Digitized by Google

sexto vixisse scimus, suam de fide epistolam scripserit; hinc evidenter arguo Apponii nostri aetatem, quoniam eum Agnelli aequalem fuisse apparet. Nam quominus unus sit idemque Armenius, ad quem ambo scribunt, dubitare non queo. Denique Apponii classicum interpretandi genus, stilus gravis et bonus, sensuumque spiritalium soliditas, paulo maiorem aetatem quam saeculi septimi extremitatem spirare videtur. Habemus ergo antiquiorem Gregorio magno scriptorem Apponium, Vigilii papae, sub Iustiniano primo, circiter coaetaneum. Ad patriam quod adtinet, italum fuisse Apponium valde arbitror quoniam Armenii familiaris fuit, cuius hominis Agnellus quoque ravennatensis necessitudine usus est. Praeterea in inscriptionum thesauris, puta Gruteri, Muratorii, Gudii, permulti Apponii (vel Aponii, nam utraque scriptura tum in lapidibus tum etiam in codicibus est) nobis occurrunt, hique lapides plerique omnes in Italia sunt. Ex hac autem inscriptionum multitudine id quoque cognoscitur, gentem scilicet apponiam opibus atque honoribus satis claram extitisse. Siquid vero etiam coniectare licet, quoniam in agro patavino fontem medicum saluberrimum, scriptis veterum celebrem, Aponum cum adiuncto pago homonymo habemus, num gens apponia indidem oriunda est? ita ut vel ipsa fonti nomen indiderit, vel a fonte potius appellationem acceperit?

Apponii explanatio in Canticum Salomonis duodecim libris comprehensa fuit; quorum sex priores in mendoso codice inventos Iohannes Faber anno M.DXXXVIII. typis commisit; reliquorum vero librorum desiderium compendio quodam adhuc mendosiore Lucae abbatis solatus est; quae deinde editio in lugdunensi Patrum bibliotheca T. XIV. repetita fuit. Apponii autem codices,

Digitized by Google

praeter illum Fabri, tres mihi comperti sunt; primus monasterii S. Nazarii laureshamensis ad Rhenum, in catalogo memoratus bibliothecae illius, quem ego catalogum in hoc volumine vulgandum curavi (vide p. 180. et 195.) Alter est bibliothecae ambrosianae sub notis D. 37. part. sup., eleganter in membranis scriptus, quem ego ipsemet Mediolani prae manibus habui. Tertius denique olim nonantulanus, nunc in alma Urbe sessorianus, membraneus aeque et antiquus; hique ambo codices totum Apponii opus, id est ·XII· libros, continent; etenim laureshamensis utrum integer fuerit, an ut ille Fabri imperfectus, divinare mihi non licet. Denique Montfauconius B. MSS. p. 134. Apponium in Canticum inter codices quoque vaticanos numerat; sed falso, ut reor; neque enim me hunc auctorem ms. in illa umquam bibliotheca conspicere memini.

Porro Apponium iusta iampridem laude cumulavit Faber, cui merito visus est fidelis ardens ac vehemens divini Cantici interpres, quique veluti totius cordis ἐνθουσιασμῷ verba sua in lectoris animum inserere penitus atque inculcare conatur. Rursus animadvertit, quod cuique legenti perspicuum fit, nihil aliud agere Apponium, nisi ut Christi cum ecclesia sive ex iudaeis sive ex ethnicis congregata, ad finem usque mundi mansurum nexum, summa cura evidentiaque declaret. Quae quum ita se habeant, Uldricus Regius in fine censurae apponianae (tom. praedict. B. PP. p. 128. col. 2.) ita cupide locutus est: " reliquos Apponii li-
„ bros desideramus . . . donec divini Numinis benigni-
„ tate hi quoque tam solidi tamque exacti auctoris in
„ eadem Cantica libri, alicubi deprehensi, in lucem
„ producantur. „ Quum ego igitur tam boni auctoris partem non modicam apud me exscriptam haberem,

Digitized by Google

nempe libros septimum atque octavum, dimidiumque nonum, nolui plures in annos premere; daturus reliquos deinceps libros cum occasio otiumque fuerit. Neque sane in hac parte nova illustres loci non passim occurrunt; immo tanta est apud Apponium abundantia sensuum, ut hi legi gustarique debeant, referri atque enarrari non possint. Largus autem est in laude martyrum et apostolorum atque virtutis, atque utilis morum magister v. gr. p. 13. et seqq. Est etiam eruditio aliqua historica, veluti p. 7. Ubique vides auctorem qui paulo post profligatam idololatriam scribit; quique haereticos numquam sinit quiescere pp. 38. 46. 56. 67. 83. Multi quoque, praeter Canticum, sacri codicis loci pro re nata ab eo explicantur. Iam p. 54. mirus est locus de clavium, id est absolvendi ac ligandi, potestate in ecclesia, contra eos, sive veteres sive recentiores, qui nobilissimam praerogativam negant; quod testimonium, utpote a tantae antiquitatis homine manans, plurimi faciendum est. Praeclarum item de charitate christiana effatum legitur p. 63. Denique p. 74. seq. subtilis et prolixa doctrina traditur de arte arithmetica et numero sexagenario. De Apponio hactenus.

Patrum sermones varii, et epistolae.

II. Sequuntur in hoc quinto volumine 1. Fausti episcopi sermones tres. 2. Faustini episcopi sermo unus. 3. Arnobii iunioris interpretatio latina epistolae paschalis S. Cyrilli alexandrini. 4. Eiusdem S. Cyrilli graecus sermo de parabola vineae. 5. Laurentii episcopi sermo in vigiliis S. Benedicti. 6. Alberici diaconi casinensis sermo de S. Scholastica cum prologo. 7. Monachorum casinensium epistola ad teutonicos suae professionis fratres. 8. Epistolae aliquot apud Teutones scriptae. 9. Leonis clerici romani specimen ex vita S. Iohannis chrysostomi ab eo composita. 10. Denique

Digitized by Google

divinarum Cassiodorii litt. institutionum supplementum quoddam, ubi veterum patrum complura scripta enumerantur ad confirmationem fidei catholicae et contra haereses. Verum de his omnibus opusculis quum necessarias praefatiunculas suis in locis scripserim, otium mihi feci, ut nunc ad alia dicenda sine mora progrediar.

Catalogi codicum.

III. Dum codices vaticanos superioribus annis pro meae stationis officio pervolutarem, multos ibi reperiebam famosarum bibliothecarum priscos catalogos; quos primum adquirendae codicum, id est operum vel deperditorum vel certe ineditorum, cognitioni perutiles iudicabam; deinde, etiamsi publica opera in his recenserentur, nihilo tamen minus manuscriptorum exemplarium, persaepe veterum et optimorum, oblatum indicium non modicam suppeditabat commoditatem. Itaque memini me videre catalogos bibliothecarum mss. Cardinalium Bessarionis, Sirleti, Caraffae, et aliorum aliquot purpuratorum; item Pici mirandulani, Fulvii Ursini, Onuphrii Panvinii, et aliorum eruditorum. Rursus catalogos codicum Sfortianorum, Columnensium, monasterii Cryptae ferratae, bibliothecae escurialensis, et cuiusdam byzantinae; catalogos quoque diplomatum et papyrorum in archiviis variis conservatorum; alios etiam diversarum mss. bibliothecarum uno codice simul collectos; denique ipsius bibliothecae mss. vaticanae plures indiculos sub diversis Pontificibus scriptos, ex quibus incrementa et quandoque damna (veluti olim accidit in romana per ducem Borbonium vastitate, et nuperius iterum bello gallico) modo laetis modo moestis oculis cognoscebam. Sed tamen his cunctis consulto praetermissis, statui celebriorum aliquot Germaniae monasteriorum, scilicet Lau-

Digitized by Google

reshamensis, Resbacensis, Corbeiensis, atque Fuldensis, in duobus pervetustis codicibus altero palatino, altero autem reginae svecae Christinae, inventos catalogos, quos neque Montfauconius sua mss. bibliotheca complexus est, neque alius facile eruditus vidit, serie integra contextuque inlibato heic describere, ut tot codicum pretiosorum, magnam sine dubio partem deperditorum, saltem fama et notitia extet; quamquam reapse partem illorum fortasse mediocrem variis in locis superesse suspicor, mihique adeo exiguus quidam illorum numerus exploratus est. His addidi excerpta quaedam multo recentiorum mss. bibliothecarum septem Palatinatus ad Rhenum; etenim plura ex his postremis exscribere, tanti non erat.

Catalogi varii.

IV. Absolutis germanicarum bibliothecarum catalogis, paucos addidi codices nonantulanos; deinde casinenses qui visi sunt nobiliores; mox tabularium item casinense, prout certe saeculo ·xv· erat; postea tabulas aereas possessionum eius monasterii; postremo ex adversariis meis notitiam prompsi notabiliorum aliquot codicum bibliothecae ambrosianae mediolanensis, in qua decennium integrum inter bibliothecarios connumeratus ad studia antiquitatis incubui. Porro editionem meam praedictorum catalogorum perpetuo commentario comitari avebam, in quo lectores praesertim admonuissem de deperditis sive sacris sive profanis auctoribus, qui his passim codicibus continebantur. Sed quod typis tunc properantibus, et me occupato, fieri non potuit, id nunc breviter praestare studebo. Ceterum ex ambrosianis quidem nihil hoc loco excerpturus sum; quum enim, ut dixi, vel praestantiores tantummodo, vel ineditos scripserim, satis ipsi per se patescunt. Neque rursus quos heic sum numeraturus

Digitized by Google

auctores et libros, ineditos omnes sine dubitatione defendo; quamquam in plurimis, ut spero, non fallar; sed eos eruditorum iudicio et doctrinae aestimandos obiicio. Tituli enim operum et auctorum nomina quandoque in codicibus variant aut permutantur. Tum vero minutorum opusculorum editiones plurimae sunt, quas mea domestica bibliotheca interdum desiderat. Attamen tam spissa occurrit tamque evidens anecdotorum in his codicibus copia, ut merito mirandum sit, quod tantum librorum tempora absconderint, vel hominum incuria oblivioni tradiderit, vel denique vis fortunae per diversas terrarum partes disperserit ac pessum dederit! A profanis igitur scriptis ordiar.

AUCTORES PROFANI.

Ex codicibus laureshamensibus.

Cap. XLVI. n. 9. Caelii Aureliani methodici siccensis medicinalium responsionum libri tres. *Hoc suum opus memorat ipse auctor in morb. chron. editionis Wetstenianae pp.* 284. 376. 495. *Erat ergo Laureshami hic codex adhuc saeculo XI quo tempore noster catalogus scribebatur. Quis tam egregium opus medicinae et litteris restituet?*

XLVII. 8. Metrorii ars de omnibus partibus orationis et de caesuris.

30. Grammatica cuiusdam sapientis.

31. Tatuini ars grammatica.

XLVIII. 15. Anonymi super bucolicon Virgilii.

XLIX. 4. Fabii Laurentii liber de rhetorica. *Est hic, ut comperi, notus ille editus Victorini commentarius in rhetoricam Ciceronis; adnotavi tamen codicem propter nomen* Laurentii *inauditum, ut puto, quia is vulgo dicitur* Fabius Marius Victorinus; *cui quidem operi emendando valde conferret codex vaticanus pervetus optimus, quem vidisse memini.*

6. Anthimi viri inlustris et legatarii ad Theodoricum regem Francorum epistola de observatione ciborum. *Eadem*

Digitized by Google

fuit in bibliotheca ms. Menarsiana, observante Fabricio B. L. V. in indice.

7. Liber Socratis, Timaei, Cretii, Hermocratis. *De hoc libro nihil definio.*

14. Severi episcopi eclogae decem. *Vix dubito quin hic sit Severus Sanctus Endeleichus, cuius extat carmen de mortibus boum in editione poëtarum minorum, curante Wernsdorfio T. II. p. 218, quem legesis de Severo disputantem p. 53. seqq.*

15. Eiusdem Severi georgicon libri quatuor.

16. Cresconii de diis gentium luculentissimum carmen.

22. Dracontii metrum de virginitate (*fortasse inter sacra scripta ponendum, ut et illud Anthimi.*) *Non extat ne in postrema quidem Arevali editione. Dracontii autem multa nova poëmata ex codice neapolitano, quem ipsemet vidi, a cl. Iannellia expectamus.*

LIII. 3. Liber grandis glossarum ex dictis diversorum coadunatus. *Hunc esse puto palatinum illum pervetustum codicem, unde ego Placidi glossas auctiores sumpsi. Cl. AA. T. V.*

5. Glossae in quaternionibus. *Immo et plura alia in his indiculis sunt glossaria.*

6. Palaemonis grammatici glossae.

LVII. 4. Etymologiarium. *Sic etiam in corbeiensibus XI. 2.*

LIX. 6. Catonis libri quinque. *Originum utique libri septem fuerunt; sed quis cogitare de his ausit? Haud scio igitur an intelligantur Dionysii Catonis distichorum moralium quatuor libri, quibus fortasse accensentur, veluti quintus liber, Valerii Catonis dirae.*

LX. 2. Liber medicinalis de diaeta et virtute herbarum in uno codice. *Incertum, num sit dynamidia, cuius pars in editionibus meis occurrit Cl. AA. T. VII.*

Ex codicibus vesbacensibus.

I. 1. Textus scotticus. *Fortasse illa sunt hesperica famina a me edita, quae sermone semibarbaro latino-scotico inaudito constare manifestum est.*

II. 33. Computi libri quatuor.

Digitized by Google

43. Liber glossarius.

III. 1. De arte medicinae libri duo.

Ex armario S. Petri (corbeiensis.)

I. 8. Libri veterum sexdecim. *Quoniam hic titulus interiacet libris de iure, fortasse intelligendus codex tum adhuc integer theodosianus; nisi potius est alter contractior alaricianus.*

II. 8. Codex pragmaticus Tiberii augusti.

Ex codicibus corbeiensibus.

XV. 14. Pauli diaconi historia Trevirensium (*cod.* Treberensium.) *Trevirorum historiam scripserat etiam Theodoricus monachus, teste Trithemio in praef. ad chronicum hirsaugiense.*

15. Romanorum historia.

XVIII. 15. Dialogorum libri sex. *Cuius? sacrine an profani? Ciceronis quidem de rep. libri sex fuere, hique ab antiquis appellantur interdum, ut sunt, dialogi.*

XIX. 25. Gesta abbatum Corbeiensium.

XXIII. 4. Smaragdus in partes Donati.

5. Victoris grammatica *Fortasse eiusdem Victoris cuius ego rhetoricam edidi.*

7. Smaragdi grammatica. *Idem, ut reor, opus quod supra.*

XXIV. 23. Glossae super odas, *ut puto, Horatii.*

XXV. 8. Pollion in aeneidem.

9. Vaca in Lucanum. *Quis Pollionis et Vacae commentarios non oscularetur?*

22. Cornelii liber de bello troiano. *Apud Leonem marsic. chron. Casin. lib. III. cap. 63. inter codices iussu abbatis Desiderii scriptos habetur* historia Cornelii cum Homero.

Ex bibliothecis recentioribus Palatinatus ad Rhenum.

II. 13. Epistolae diversorum regum.

VII. 11. Sabellii gesta Romanorum. *Nisi forte est Sabellicus recentior.*

12. Fenestella de magistratibus Romanorum. *Puto illum suppositicium.*

Digitized by Google

Ex codicibus Casinensibus.

II. 13. Arichis principis versus.

24. et seqq. Chronica varia; et quidem unum amplum quatuor libris constans.

III. 23. De medicina codices multi.

IV. 1. Cresconii de bellis libycis. *Hunc codicem scribi iussit saeculo XI. abbas Desiderius, teste Leone marsicano chron. casin. lib. III. 63. Editum vero fuit opus ante hos annos Mediolani ex codice trivultiano; sed quoniam haec princeps editio magnis laborat mutilationibus ac lacunis, perutilis foret complendo Cresconio codex casinensis, si forte is adhuc superesset.*

20. Liber de omnibus artibus quae in terra fiunt.

21. Auxilii liber vocabulorum.

22. Brutonis de vocabulis.

23. Hildrici casinensis liber grammaticalis.

25. Epistolarum moralium liber incipiens: durissima Cassiodori monachi.

26. Martialis (*puto* Gargilii) geometria.

Registrum quoque monasterii Casinensis totum propemodum est ineditum.

AUCTORES SACRI.

Ex codicibus laureshamensibus.

Omitto sancti Augustini scripta, utpote numerosissima, de quibus alibi locuturus sum.

III. 10. et XXIX. 20. Tagii, vel Taii, cognomento Samuelis, collectiones ex operibus S. Gregorii.

11. Explanatio sex dierum sumpta ex operibus SS. Augustini, Ambrosii, et aliorum.

IX. 2. XXXI. 26. et Casin. II. 1. Evagrii altercatio inter Theophilum christianum et Simonem iudaeum. *Legebat eam Gennadius cap.* 50.

X 1. et Corb. XLIII. 10. S. Ambrosii epistola ad S. Augustinum de haeresibus. *Habendam puto inter spuria scripta.*

8. Theodori archiepiscopi cantuariensis symbolum.

Digitized by Google

XI. 6. et XXXVII. Prosperi excerptio ex libris S. Augustini de Trinitate.

XXI. 27. S. Severini episcopi doctrina.

28. S. Ambrosii altercatio contra eos qui animam non confitentur esse facturam. *Spurium quid creditur.*

XXVII. 11. S. Hieronymi parvula adbreviatio in capitulis paucis in Esaiam. *De adbreviatione operis hieronymiani per Damianum clericum verba feci T. IV. p. XI; sed ea tamen non est in capitulis paucis.*

XXIX. 7. Symboli nicaeni expositio.

XXXI. 27. et nonant. III. 6, 10. S. Ambrosii expositio symboli. Item S. Hieronymi de fide contra haereticos. *Existimo utrumque opusculum idem esse atque ambo illa quae ego Script. vet. part. 1. pp. 156–161. edidi. Nam secundum in codice etiam vaticano quodam, ut ibi dixi, inter Hieronymi epistolas erat insertum. Codices igitur laureshamenses et nonantulani editionem meam confirmant.*

28. Wicbodi collectio ex patribus in pentateuchum. *Est illa videlicet, cuius partem minimam edidit Martenius Collect. ampliss. T. IX. p. 293. Vidi eandem in prisco codice vaticano.*

29. S. Fulgentii excerptio ex libris S. Augustini contra Fulgentium donatistam. Item de symbolo et deitate. Item expositio symboli contra iudaeos, paganos, et arrianos. *Haec opuscula cum editis Fulgentii scriptis non congruunt. Certe si Fulgentii excerptio genuina est, opus item Augustini genuinum foret, quod Maurini T. IX. in appendice spurium iudicant. Expositio symboli, fortasse ille est liber regulae fidei, quem Isidorus script. eccl. cap. 14. ponit inter fulgentianos; vel potius intelligendum est scriptum aliud de symbolo et deitate.*

XXXIII. 2. Excerptio cuiusdam sapientis super epistolam ad Hebraeos.

12. S. Ambrosii sermones quatuor de apostolica electione. (*omnino censeo scribendum* lectione.)

16. Eiusdem sermo ad consolandam viduam.

XXXIX. 3. Iacobi episcopi libri quinque. *Valde autumo Iacobi nisibeni esse. Minime tamen tituli conspirant cum illis*

Digitized by Google

sermonum Iacobi nisibeni editorum ab Antonellio. Congruunt autem partim cum titulis a Gennadio cap. 1. memoratis.

4. et XLIV. 12. Sententiae de diversis utilitatibus (*num* virtutibus?)

XLI. 7. Alcuini in epistolam ad Hebraeos.

13. Eiusdem super psalmos.

XLII. 10. S. Fulgentii de Spiritu sancto ad Bragil presbyterum liber unus. *Hunc Hincmarus remensis saeculo IX. legebat lib. 3. adv. obiecta Graecorum; saeculo XI. adhuc erat Laureshami. Quis nobis thesaurum tantum effodiet?*

XLIII. 8. Timothei ad ecclesiam libri quatuor. *Timotheum episcopum, sed libri alterius auctorem, memorat Gennadius cap.* 58.

10. Theophili episcopi alex. contra Origenistas. *Grande volumen fuisse dicit Gennadius cap.* 33.

XLIV. 4. S. Silvestri papae canonum constitutum etc.

9. Candidi presbyteri de passione Domini.

10. Anonymi expositio super Esaiam.

XLIV. 11. et Corb. XVI. 19. Iosephi scoti excerptio super Esaiam.

XLV. 1. Fausti episcopi de Spiritu sancto.

Codex hic laureshamensis in bibliothecam Principis palatini transiit, postea vero cum ceteris palat. Romam migravit in pontificiam. Est priscus, saeculi ferme XI., mutilus tamen in postrema parte, cessat enim liber secundus paulo ante finem capituli quarti. Satis autem nota est controversia, utrum id opusculum de Spiritu sancto quod vulgatum est sub nomine Paschasii diaconi, ad hunc reapse pertineat, an ad Faustum Reiorum episcopum. Nam Gennadius cap. 80, *ex eoque Honorius atque Trithemius, qui Fausto adiudicant, sine dubio de hoc edito loquuntur ut verba eorum cum ipso collata demonstrant. Sanctus autem Gregorius papa dial. lib. IV. cap.* 40. *rectissimos quidem et luculentos Paschasii diaconi de Spiritu sancto libros appellat, sed tamen incertum est utrum de hoc edito opere an de alio amisso loquatur. Equidem lectores meos ad Oudinum mitto qui validius prae ceteris pro Fausto pugnat. Sed quoniam in codicibus resbacensibus opus de Spiritu*

Digitized by Google

sancto cum Paschasii nomine legitur, definita fortasse iam quaestio est; duo diversa scilicet fuisse opera de argumento eodem; desiderari opus a Gregorio memoratum, superesse illud Gennadio aliisque lectum; in editionibus autem futuris restituendum esse Fausto opus, quod hactenus a typographis Paschasio inscriptum est. Sed age iam demonstrabo etiam brevi specimine quantopere huius scripti editio a recta lectione codicis laureshamensis deflexerit. En igitur in opusculi praefatiuncula differentiam lectionis.

Codex vaticanus.	*Bibliotheca lugdunensis patrum T. VIII. p. 807.*
Fausti episcopi de Spiritu sancto libri duo. Incipit liber primus. Omnibus Spiritum sanctum aperte de capite fidei, id est de symbolo, intellegendum.	Paschasii diaconi romani in libros de Spiritu sancto praefatio.
sacras paginas	sanctas paginas
per symboli salutare carmen	per symboli salutare
per dispersas	per diversas
innumeris	ex innumeris
flagrantiae spiritalis	fragrantiae spiritualis
veritatis adsensu	universitatis ascensu
emergentem errorem	emergentes errores
non solvit	non resolvit
quia trecenti in aera vel supputatione graeca	quod trecenti mera supputatione graeca
confudit	confundit
intellegendum	intelligendum
perfectione symboli	profectione symboli
ante quem	antequam
cuilibet potes homini	quilibet potest hominum
te debere noveris maiestati	debere te maiestati noveris
aliud in Deum credere	aliud est credere in Deum
contremescunt	contremiscunt

Digitized by Google

2. Altercatio Iudaeae et ecclesiae etc. *Sine dubio eo idem opus quod infra in codd. Casin. II. 2. cum nomine Evagrii occurrit.*

XLV. 3. et in arm. S. Petri II. 5. Victorini liber in leviticum.

XLVI. 4. Liber epistolarum Senatoris diaconi, postea presbyteri. *Sine dubio est Cassiodorius, sed notandi sunt insoliti tituli* diaconi *ac* presbyteri.

L. 12. Bedae hymni septuaginta septem.

13. Severi episcopi metrum in evangelium, libri duodecim.

16. Cresconii metrum in evangelium, liber unus.

18. Eiusdem versus de principio (*an* fine?) mundi, vel de die iudicii, et resurrectione carnis.

20. Cypriani metrum super heptateuchum, libros regum, Esther, Iudith, et Machabaeorum.

LII. 12. Liber sententiarum. *Nisi est Isidori.*

LIII. 1. Epitaphia seu ceteri versus in quaternionibus. *Illa sunt fortasse epitaphia poëtica, quae ex codice palatino adhuc Romae apud nos superstite, edidit Gruterus in classe inscriptionum christiana.*

9. Scoti (*puto* Iosephi, *ut supra p. XVI.*) expositio in Iob.

LVIII. 7. Ricbodoni episcopi adunatio, et hymni, et annalis.

LIX. 1. Epistolarum diversorum patrum et regum liber Treviris inventus.

2. Epistolae diversae (ab?) imperatoribus missae contra haereticos, et eorum definitiones cum sanctis patribus.

Ex codicibus resbacensibus.

II. 9. Nithardi (*cod.* Nihardi) homiliae sex. *Hic nepos fuit Karoli magni ex Bertha filia.*

25. Adalberti liber de septem plagis.

III. 24. Hadoardi de virtutibus quatuor.

Ex armario S. Petri corbeiensis.

II. 13. Tertullianus de Trinitate. Item de munere.

Digitized by Google

Ex codicibus monasterii corbeiensis.

V. 15. Iuliani pelagiani epistola ad Hieronymum.

VI. 15. S. Hieronymi expositio symboli.

19. 20. Eiusdem super Ecclesiasten, et super Esdram.

25. Liber dogmatum ex epistolis S. Hieronymi.

VII. 19. S. Ambrosii contra Novatianum.

21. Iohannis de similitudine carnis.

22. Explanatio sex dierum ex dictis Ambrosii. *Sunt excerpta de hexaemerone.*

IX. 18. Rabertus. *Intelligo Paschasium Radbertum cuius opera Sirmondus edidit.*

XI. 1. Rabanus super actus apostolorum.

4. Tertullianus de ignorantia.

11. Robertus de divinis officiis.

XIII. 1. Cyrillus de benedictione levitarum et sacerdotum.

XIV. 6. Dicta regis Trasamundi cum responsionibus. *S. Isidorus de script. eccl. cap. 14. inter opera Fulgentii ponit* librum altercationis, quo de fide cum Trasamundo rege Fulgentius disputavit. *Hic quidem liber in deperditis est. Noster tamen laureshamensis videtur mihi potius ille editus contra Arrianos qui incipit* dictum est. *Et quidem sequuntur in indice duo editi ad Trasamundum de mysterio mediatoris, et de divinitate Christi.*

9. Eiusdem Fulgentii de consultatis Optati.

11. Epistola ad Gallam de passione eius. *Hic certe titulus cum editis ad Gallam epistolis non congruit.*

XVI. 20. Anonymi super epistolam ad Romanos.

XVII. 2. Paschasii diaconi de Trinitate. *Differt hic titulus ab opere edito de Spiritu sancto, quod ipsum catalogus laureshamensis tribuit Fausto. Nisi potius opera duo sunt diversorum ut iam dixi auctorum.*

11. De paenitentia libri sex, *sive Haymonis qui praecedit in codice, sive alterius auctoris.*

32. Florus contra Iohannem Cassianum de institutione monachorum.

XVIII. 5. Belus (*ita cod.*) de laude crucis.

8. Tertullianus de cibis iudaicis.

Digitized by Google

17. Iohannes diaconus super pentateuchum. *Extitisse ineditum etiam in bibliotheca parisiensi S. Germani de pratis hoc opus, traditum est.*

XIX. 1. Florentii epistolarum liber unus.

22. Consuetudines sancti Adalardi.

XXIII. 1. Adulphus super leviticum.

Ex codicibus fuldensibus (1).

I. 11. Faustini homiliae. *Vide dicta a nobis infra p.* 97.

Ex bibliothecis recentioribus Palatinatus ad Rhenum.

I. 2. Hildemarus de quatuor generationibus hominum, cum expositione super canonem, et explicationibus quaestionum aliquot.

5. Rodulphus super leviticum. *Item Casin. III.* 20.

8. Othonis de sacramento altaris.

13. Bernhardus casinensis super regulam S. Benedicti.

17. Pomerii sermones de sanctis.

18. et II. 17. Peregrinus (*homo minime priscus*) de sanctis.

19. Bernhardus de planctu sanctae Mariae.

22. Orosius super Cantica.

II. 1. Smaragdus de virtutibus.

3. Simpliciani de sanctis partes tres. *Hinc cognoscimus, vitam quoque S. Zenobii episcopi florentini parentem habere hunc iuniorem Simplicianum, non illum priscum mediolanensem, quod merito videbatur incredibile Mabillonio itin. ital. p.* 166.

13. Epistolae diversorum regum.

16. Heribertus super septem psalmos paenitentiales. *Erembertum quidem, nos ipsi in aliquot psalmos edidimus Script. vet. T. IX. p.* 339.

IV. 1. Biblia latina veteris versionis, magni pretii.

V. 6. Paschasii enarrationes in lamentationes Hieremiae.

(1) Fuldensium codicum catalogum, ante hos annos ut audio in Germania vulgatum, auguror multo pleniorem esse quam apud nos p. 212-215. Etenim tantae antiquitatis et nominis bibliothecam plurimis codicibus instructam fuisse non dubito.

Digitized by Google

Ex codicibus nonantulanis.

I. 46. S. Remigii tractatus varii. *Intelligo Remigium antisiodorensem, cuius multa inedita scripta mihi cognita sunt.*

II. 16. Ambrosii de baptismo. *Nisi id potius continetur in libris de sacramentis.*

27. Gregorii in Esaiam volumen unum. *Interiacet quidem inter alia Gregorii magni opera in catalogo; id tamen alibi, quod sciam, non nominatur.*

Ex codicibus casinensibus.

I. 1. S. Hilarii liber de mysteriis.

2. Eiusdem super epistolis canonicis.

18. S. Ambrosii versus de Trinitate. *Incip.* omnia terna vigent; *quod certe initium in hymnis eius editis non legitur.* Item eiusdem de sanctae Mariae virginitate.

29. Vigilius de laude virginum.

28. Isidori de incarnatione.

28. Ildelfonsi in apocalypsin.

II. 2. Evagrii altercatio ecclesiae et synagogae.

6. Auxilii presbyteri quaestiones.

11. Adelmi liber in versibus de laudibus sanctorum. *Librum hunc ineditum memorat etiam Cavaeus. Nos Adelmi praeclarum de re grammatica et de septenario tractatum edidimus AA. Cl. T. V.*

12. Vita duodecim fratrum in versibus.

14. Psalterium in versibus. *In psalmos commentarium priscum litterâ longobardicâ vidi ego in monasterio Cavensi.*

15. Cantici Canticorum expositiones octo, *in diversis codicibus, et quidem aliquoties litteris magnis priscis.*

19. Liber de vera amicitia et caritate.

22. Vita S. Birgittae in versibus. In regulam S. Benedicti expositiones Richardi, Pauli diaconi, Smaragdi, Bernhardi, Petri diaconi.

III. Petri Casinensis, diaconi ostiensis, opuscula varia, *quorum pleraque esse inedita, cognoscitur ex adnotationibus Ioh. Baptistae Mari ad librum de viris ill. coenobii Casinensis cap. ult.*

Digitized by Google

III. 21. Liber de Patarenis.

17. Guarferii casinensis homiliae.

22. Liber de primatu romanae ecclesiae.

24. Gualterii liber de gradibus ecclesiasticis.

25. Gulielmi de iisdem.

26. Rofridi casinensis liber.

IV. 2. Rufini expositio in epistolas Pauli.

3. Claudii episcopi in easdem.

6. Remigius in easdem.

7. Eiusdem super psalterium.

9. Petri Damiani sive ostiensis dictionarium. *Immo est illud ineditum Petri capuani Cardinalis, de quo nos diximus T. IV. praef. p. XII.*

10. Berengarii in Cantica Canticorum.

S. Hieronymi in apocalypsin ad Anatolium. Item eiusdem in quatuor evangelia.

Item in Pauli epistolas expositiones multae.

Philemonis grammatici de proprietate sermonis. Puto mendum *Philemonis* pro *Palaemonis*, quem habemus.

Pauli diaconi commentarius in Pauli epistolas.

Iohannes presbyter de musica.

Historia urbis Caietae.

Codex magnus diplomaticus Caietae.

Historiae duae oppidi Pontiscurvi.

De Stephani commentario medico.

V. Quum in codice vaticano 2154., manu Andreae Darmarii epidaurii scripto, splendidum hercle ac perbonum ad prognostica Hippocratis commentarium legissem, existimavi me pretium operae facturum, si hunc typorum beneficio ad communem usum deferrem. Me tamen in primis turbabat titulus Δαμασκίου φιλοσόφου *Damascii philosophi*, qui tamquam auctoris nomen in vaticano codice legitur: nam quum nemo Damascium inter medicorum filios retulerit, neque huius umquam operis sub Damascii nomine mentio fuerit, pendebam animo, nec quid consilii caperem satis explicabam. Mox tamen omnem mihi perplexita-

Digitized by Google

tem exemit A. Bandinius, qui in bibliothecae laurentianae gr. pluteo LIX. cod. XIV. hoc ipsum opus cum *Stephani philosophi* nomine extare narrat, sectionumque initia recitat, quae ad litteram cum vaticanis conspirant. Praeterea in adversariis meis deprehendi, codices quoque ambrosianos mediolanenses L. 30, et S. 19. part. sup. Στεφάνου ἀθηναίου ἐξήγησιν εἰς τὸ προγνωστικὸν Ἱπποκράτους continere. Denique apud Fabricium B. G. ed. vet. T. XII. p. 694. legebam, Stephani atheniensis hunc commentarium in bibliotheca quoque Renati Morelii extitisse. Nullus itaque iam dubitavi, falsum nomen, nescio quo errore, a Darmario fuisse inscriptum; ipsum autem opus, certum omnino Stephani foetum esse iudicandum. Illud mihi molestum accidebat, quod non tres, id est cunctas, sed priores duas tantummodo sectiones vaticanus codex habebat, quae nimirum pertingunt usque ad paginam 43. v. 31. T. I. foësianae Hippocratis editionis; quod secus fit in codice laurentiano, ubi tertia quoque sectio describitur. Verumtamen quod in manibus est, lectoribus largior; reliquum fortuna et tempus moderabuntur. Porro ad ipsius auctoris notitiam quod adtinet, vix quicquam iis addere licet, quae docte more suo Fabricius B. G. loc. praed. iam scripsit, nempe hunc Stephanum domo atheniensem fuisse, Theophili medici protospatharii discipulum (quem tamen Stephanus apud nos p. 12. irridet) Heraclii imp. temporibus supparem, septimi scilicet saeculi hominem. Nam suam quidem artis medicae peritiam, et scribendi lucidam facultatem ipse auctor prodit. Quae quum ita sint, aptum prorsus bonorum auctorum albo Stephanum censui, salutari arti perutilem, et interpretatione etiam latina, si otium mihi aliquando vel aliis fuerit, dignissimum.

Digitized by Google

De Eustathii sacro commentario.

VI. Hactenus Eustathii archiepiscopi thessalonicensis nomen claruerat propter eximios ad utrumque Homeri poëma commentarios; nunc demum sacri quoque poëmatis interpres procedit, et quidem in alma Urbe primum impressus, ubi homericae quoque eiusdem lucubrationes natalem lucem anno ·M·DL· hauserunt. Inter hymnos, qui sancti Iohannis damasceni nomen gerunt, nobilis est tum ob theologiae altitudinem, tum ob metri etiam suavitatem, is qui divinum Spiritum celebrat, et a Graecis pentecostali tempore canitur. Mitto nunc controversiam utrum hic hymnus reapse parentem habeat S. Iohannem damascenum τὸν πάνυ, an homonymum alium, qua super re Eustathius ipse in prohoemio p. 164-166. verba facit, tum etiam in nupera Pentecostarii graeci editione veneta anni ·M·DCCC·XXXVII· docte disseritur. Neque enim nos de hymni auctore nunc quaerimus, sed eius interpretem doctissimum et copiosissimum in litterarum rem publicam laeti deducimus. Scripti huius duo saltem exemplaria innotuerunt, alterum vindobonense, quod accurate describit Lambecius in B. Vindob. ed. nov. T. V. p. 556, a quo tamen dilaudatus quidem est, non tamen typis commendatus; alterum vaticanum 1409. bombycinum, litteris minutissimis innumerisque siglis conscriptum; quod quum iamdiu deprehendissem, et claustris tamdiu obseratum dolerem, constitui denique in huius voluminis postrema parte collocare. De quo sane scripto Lambecium, et praesertim Allatium in prolegomenis damascenicis cap. 68-70. apud Lequinium, copiose disputare decuit, ut incognitum scriptum lectoribus revelarent; mihi vero qui totum, qualis quantusque est, legendum orbi terrarum iam exhibeo, diu loqui non est necesse: sui enim cuique oculi, si modo graecis

Digitized by Google

litteris sit imbutus, Eustathium hunc pro dignitate ac merito commendabunt. Graeca certe ecclesia post illos primorum saeculorum patres, parem Eustathio interpretem vix ullum habet, qui tantam sermonis graeci copiam, et theologicae facultatis rerumque variarum peritiam prae se ferat. De subnexis autem ipsius Eustathii fragmentis aliis, nec non commentariorum Iohannis Zonarae, Theodori Prodromi, Nicetaeque Dadybrorum episcopi, ad alia cantica speciminibus, suis locis parce locutus sum.

De Choricio.

VII. Procopii gazaei rhetoris, cuius epistolas centum ineditas et commentarios sacros alio tempore impressimus, discipulus fuit Choricius, gazaeus item sub Iustiniano magno rhetor, qui magistri famam scriptorum multitudine et elegantia exaequavit. Huius quae sint edita scripta iam narravit Fabricius B. G. ed. nov. T. IX. p. 760; inedita autem permulta nunciavit nobis Iriartius ex matritensi bibliotheca p. 395. cod. 101., qui utinam non nunciasset solum, verum etiam edidisset! Mediocri enim chartae dispendio pulcherrimi ingenii elimataeque linguae fructum nobis obtulisset. Denique et impiger Villoisonus Anecd. T. II. p. 18-67. diu nobiscum de Choricio loquitur, et quaedam simul in medium profert. Sed illud inexpectatum mihi accidit, quod tituli codicis matritensis, nec non illi codicum Villoisoni, cum vaticanis non congruunt, ideoque haec vaticana scripta non solum nova sunt sed etiam incognita. Extabant autem in codice vaticano bombycino 1898. miscella complura continente; sed Choricii quidem partes minimis litteris mirisque compendiis scriptae, saepe in codicis angulis evanidae ac prorsus oblitteratae, ita ut crebrae lacunae fiant, praeter quam quod multa etiam folia exciderunt. Sunt

Digitized by Google

autem hae Choricii reliquiae (quibus titulum μελέται p. 410. arbitratu meo quodam imposui) partim ἐκφράσεις *descriptiones*; partim διαλέξεις *dictiones*; partim item ficti argumenti id est πλασματικὰ συγγράμματα, ut loquitur Photius cod. 160. Una est praeterea oratio funebris in adulescentem discipulum et familiarem "quem furiae torvo dederant spectacula Marti „ quod item genus in Choricio Photius loc. cit. agnovit, dixitque μονῳδίαν, quod nos inscripsimus epitaphium. Denique et panegyrici frustum habemus, qui pari vocabulo apud Photium quoque πανηγυρικὸς appellatur. Et quidem Photius Choricium ἐκφράσεσι praecipue atque ἐγκωμίοις excelluisse narrat. Est autem in libro nostro apprime notabilis publici horologii apud Gazam descriptio, in qua haud scio an rotarum quasi machinationem, vel perpetui cuiusdam motus iam tum in oriente usum cognoscere liceat. Aquei certe motus, sed vulcanii tantummodo mobilis artificii mentio fit (1). Mira item est magnae variaeque in eadem urbe picturae descriptio,

(1) Gazaeum horologium saeculo septimo, id est Choricii aetate, stupori fuisse videmus. Ecce autem initio saeculi octavi, teste annalista saxone ad Christi annum .DCCCVII., paris fere artificii horologium, sed tamen aqueum, a rege Persarum Abdalla missum fuit ad Karolum magnum imp. Aquisgrani sedentem, quod attulit eius legatus cum monachis, qui de Hierusalem urbe legatione pariter sui patriarchae Thomae fungentes veniebant. Sic ergo annalista saxo. *Misit* (praedictus rex) *horologium ex aurichalco arte mechanica mirifice compositum, in quo .XII. horarum cursus ad clepsydram vertebatur, cum totidem aereis pillulis, quae ad completionem horarum decidebant, et casu suo subiectum sibi cymbalum resonare faciebant; additis in eodem horologio eiusdem numeri equitibus, qui per duodecim fenestras completis horis exibant, et in cursu egressionis suae totidem fenestras, quae prius erant apertae, claudebant; nec non et alia multa in eodem horologio erant.*

Digitized by Google

quam eruditi cum Philostrati et Luciani imaginibus comparabunt. Adnotavit insuper Photius, Choricium haud carere sententiarum laude, seu non frustra in proferendis effatis laborare, οὐδὲ τῆς γνωμικῆς σπουδῆς ἀσχολεῖν, quae graeca verba perperam, meo iudicio, Andreas Schottus, ut alia multa, in sua Photii editione interpretatus est *neque a docta recedit diligentia.* Quis enim ignorat γνώμην et γνωμικὸν pro *sententia effatoque* sollemniter poni? quod facit etiam Porphyrogenitus in titulo περὶ γνωμῶν *de sententiis* a nobis ante hos annos edito. Revera in Macarii rosario apud praedictum Villoisonum T. II. p. 18. seq. Choricii multae sententiae referuntur, quia dignum idoneumque iudicavit prae ceteris Choricium Macarius, ex quo sententias id est γνώμας sibi depromeret. Quin adeo ante Macarium nescio quis alius sententiarum scriptor, a me in vaticano prisco codice saeculi ferme undecimi lectus, et ob augendum Dionem Cassium expilatus, ex Choricio sententias sumpserat saltem tres, quas libenter heic adscribam utpote ineditas, et ampliando Choricio commodas. Sic ergo in praedicto codice fol. 10. b. ΧΟΡΙΚΙΟΥ. Ἄνευ βουλίας οὐδὲν πέφυκε δύναμις ὠφελεῖν· σύνεσις δὲ, κἂν ἰσχὺν μὴ προσλάβῃ, πολλὰ πολλάκις ἐπινοεῖ Rursus f. 16. a. ΧΟΡΙΚΙΟΥ. Ἐγὼ μὲν τὰς ἐν κάλλει διαφερούσας ἡγοῦμαι μᾶλλον ἀκέραιον τὴν εὐνὴν τοῖς ἀνδράσι φυλάττειν, ἢ τὰς εἶδος ἐχούσας κακόν· αἱ μὲν γὰρ παρὰ τῶν ἀνδρῶν ὡς εἰκὸς ἀγαπώμεναι, τὸ ἴσον ἀποδιδόασιν· αἱ δὲ παραφρονούμεναι μὲν, ἀδυνατοῦσαι δὲ σωφρονεῖν, ὀλισθηρὸν γὰρ τὸ θῆλυ, μὴ παρούσης εὐνοίας ἀνδρὸς, ἢ καὶ ἀμύνασθαι τοὺς συνοικοῦντας οἰόμεναι, πρὸς τὰς ἔξωθεν βλέπουσιν ἡδονάς. Praeclarum sane fragmentum! sive id pertinet ad generalem aliquam feminarum laudationem, cuiusmodi fere est aliud brevius segmentum apud Villoisonum p. 19; sive potius

Digitized by Google

ex aliquo panegyrico vel oratione nuptiali aut funebri excerptum est, dicta forsitan in Zachariae nuptiis vel Mariae funere, qui orationum choricianarum tituli ab Iriartio recitantur. Denique f. 201. b. ΧΟΡΙΚΙΟΥ. Τὸ ἐκ φύσεως ἀγαθόν, ἀδόκιμον· τὸ δ' ἐκ προαιρέσεως ἐπαινετέον. Atque heic mihi liceat unicam quoque Procopii rhetoris moralem sententiam interserere ex eodem codice sumptam f. 228. ΠΡΟΚΟΠΙΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ. Μὴ τιμωμένης ἀρετῆς, ἡ κακία παῤῥησιάζεται, *ubi honor virtuti non tribuitur, vitium fit audax.* Postremo dicendum est, me in secundo huius Spicilegii volumine quatuor edidisse διαλέξεις *dictiones*, in Libanii codice inventas, quibus tamen ipsum Libanii nomen non erat praepositum. Profecto eas me vulgasse non paenitet, sunt enim ineditae, ut reor; verumtamen duas priores codex matritensis apud Iriartium p. 401. col. 1, Choricio auctori inscribit, id quod egomet verius iudico, ideoque nunc a Libanio ad Choricium translatas velim; nec has tantum, sed duas quoque posteriores, ut est consectaneum. Neque nunc primum Libanius Choricii spoliis immerito ditatus fuit; nam et Patrocli ad Achillem orationem inter libanianas vulgatam, codex idem matritensis choricianam facit, eamque iure postliminii ad Choricium Iriartius revocat; quae sane in posterum collocanda erit iuxta Phoenicis dictionem quae quinta apud nos est.

Theophili protospath. specimen.

VIII. Quoniam discipuli, id est Stephani, scriptum medicum in hoc volumine edidimus, non est absonum ut magistri quoque, id est Theophili protospatharii, breve saltem specimen ex eius scripto nondum graece impresso heic recitemus; nimirum ex eius copioso et insigni ad Hippocratis aphorismos commentario, quem vaticanus codex nobis suppeditat, litteris pulcherrimis decimo fortasse saeculo scriptus.

Digitized by Google

Ἀφορισμοὶ τοῦ Ἱπποκράτους γραφέντες παρὰ Θεοφίλου πρωτοσπαθαρίῳ· καὶ ἐπὶ τοῦ χρόνου τρίτῳ μετὰ τῶν σχολίων αὐτῶν.

Ἀφορισμός ἐστι λόγος σύντομος αὐτοτέλη διάνοιαν ἀπαρτίζων· ἢ λόγος κατὰ μὲν τὴν προφορὰν ἤτοι τὴν φράσιν ωενόμενος, πλουτῶν δὲ τοῖς ἐνθυμήμασιν· εἴρηται δὲ ἀφορισμὸς διὰ τὸ περιορίζεσθαι ἐν ἑαυτῷ τὸ νόημα, ἀφορίζεσθαι δὲ καὶ διίστασθαι ἀπό τε τῶν πρὸ αὐτοῦ καὶ τῶν μετ' αὐτοῦ· ἰστέον δὲ ὅτι δύο προοίμια ἔχει ἡ παροῦσα πραγματία· καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἔστιν ἀποφαντικόν, ἤγουν ἀποτρεπτικόν, κατ' ἀποτροπὴν τοῦ, ὁ βίος βραχύς, ἡ δὲ τέχνη μακρή· τὸ δεύτερον δὲ συμβουλευτικόν, τὸ δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν· καὶ τὰ ἑξῆς.

ἀρχὴ τοῦ πρώτου τμήματος.

Ὁ βίος βραχύς, ἡ δὲ τέχνη μακρή, ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς, ἡ δὲ ωεῖρα σφαλερή, ἡ δὲ κρίσις χαλεωή. Τὸ τοῦ βίου ὄνομα ωολλαχῶς εἴρηται· λέγεται γὰρ βίος ὁ τόωος, καθ' ὃ φαμὲν ἀμφίβια ζῷα, ἃ καὶ ἐν τῇ χέρσῳ καὶ ἐν τῷ ὕδατι βιοῦν δύνανται, ὡς αἱ φῶκαι, ὡς οἱ κροκόδειλοι· βίος καὶ τὸ ἐωιτήδευμα, καθ' ὃ φαμὲν, τόνδε τὸν ἄνθρωπον ἰατρικὸν βίον μετιέναι, κἀκεῖνον φιλόσοφον· βίος καὶ ἡ ζεῦξις τοῦ γάμου, καθ' ὃ λέγομεν ὅτι βίον ὁ ἄνθρωωος οὗτος ἠγάγετο· βίος καὶ τὸ ἦθος τῆς ψυχῆς, καθ' ὃ φαμὲν σώφρονα βίον ἔχειν καὶ κόσμιον, ἢ τὸ ἀνάπαλιν ἀκόλαστον· λέγεται βίος καὶ ὁ χρόνος ἡμῶν· ἀμέλει γὰρ τὴν ἀωαναχώρησιν τῆς ψυχῆς, ἀωοβίωσιν ωροσαγορεύομεν· οὗτος οὖν ὁ βίος κατὰ τὸ ε' σημαινόμενον βραχύς ἐστι καθ' Ἱωωοκράτην τῇ τέχνῃ ωαραβαλλόμενος. Ἡ τέχνη δὲ μακρή· δι' ὅτι ὁ βίος βραχύς· ἢ δι' ὅτι ωολλὰ εἰσὶ τὰ οἰκεῖα αὐτῆς μέρη, καὶ οὐδέωοτε εἰς τὸ πέρας ἄγεται· εἰσὶ μὲν οὖν τὰ ωρῶτα μέρη τῆς ἰατρικῆς δύο, τό τε θεωρητικὸν καὶ τὸ ωρακτικόν· ἑκάτερον δὲ τούτων εἰς ωλείονα διαιρεῖται· τὸ μὲν θεωρητικὸν εἰς φυσιολογικόν, αἰτιολογικόν, σημειωτικόν· αὖθ δὲ τὸ φυσιολογικὸν εἰς στοιχεῖα χυμοὺς, κράσεις, μόρια, δυνάμεις, ἐνεργείας· ταῦτα τὰ σκέλη, καθ' ἃ ἀλλαχοῦ εἴρηται,

Digitized by Google

διαιρεῖται εἰς πλείονα· τὸ δὲ αἰτιολογικὸν διαιρεῖται εἰς προκαταρκτικὰ αἴτια, εἰς προηγούμενα, καὶ εἰς συνεκτικά· τὸ δὲ σημειωτικὸν εἰς τὴν τῶν παρόντων διάγνωσιν, καὶ εἰς τὴν τῶν μελλόντων πρόγνωσιν, καὶ εἰς τὴν τῶν προελθυθότων ἀνάμνησιν· πάλιν τὸ πρακτικὸν διαιρεῖται εἰς ὑγιεινὸν, θεραπευτικόν· εἰς διαιτητικὸν, φαρμακευτικὸν, χειρουργικόν· τὸ δὲ διαιτητικὸν εἰς γυμναστικὸν, ἀναληπτικὸν, καὶ προφυλακτικόν· καὶ ἁπλῶς πολλαὶ ζητήσεις περὶ τούτων· μακρὰ τοίνυν ἐστὶν ἡ τέχνη διὰ τὴν εὕρεσιν, διὰ τὴν μάθησιν, διὰ τὴν τελείωσιν τῶν μερῶν· πῶς γὰρ δύναται ἄνθρωπος εἷς καὶ εὑρεῖν ταῦτα, καὶ μαθεῖν καὶ τελειῶσαι; καὶ μάρτυς αὐτὸς ὁ Ἱπποκράτης εἰπὼν, ὅτι τὸ τῆς τέχνης μάθημα μέγα ἐστὶ καὶ μακρόν· οὐδὲ γὰρ εἰς πέρας φέρομαι ταύτης, καὶ περ γυμνικὸς καθεστηκώς.

Ὁ μέν τοι καιρὸς ὀξύς· ἦ τοι τῶν βοηθημάτων, ἐπειδὴ παρατρέχει καὶ λανθάνει τὴν ἡμετέραν αἴσθησιν, καὶ τῶν δυσχερῶν ἐστὶ τὸ διαγνωσθῆναι ὥστε κατὰ λόγον προσάγειν τὰ βοηθήματα· πολλάκις γὰρ ἐλθών τις πρὸς τὸν ἄῤῥωστον, συνεῖδεν αὐτὸν λαβεῖν τόδε ἢ τόδε τὸ φάρμακον, ἐπειδὴ ἔδει· καὶ εἰσελθὼν μετὰ δύο ὥρας οὐκ ἠδυνήθη αὐτὸ δοῦναι· ἄλλη γὰρ ὥρα γέγονεν· ἢ διὰ τὸ ῥευστὸν τῆς ὕλης ὀξύς ἐστιν ὁ καιρός· ἀδύνατον γὰρ τῷ αὐτῷ σώματι δὶς ὡσαύτως ἔχοντι περιτυχεῖν· πολλάκις γὰρ δεῖται τροφῆς ὁ ἄῤῥωστος, καὶ μελλόντων δοῦναι, περὶ τὴν ἐπίδοσιν εἰσέβαλεν ὁ παροξυσμὸς, ἢ σύμπτωμά τι, καὶ ἐκώλυσε θρέψαι.

κ. τ. λ.

Digitized by Google

APPONII

IN CANTICUM CANTICORUM

EXPLANATIO.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS (1)

CANTIC. CAP. IV. 8.

Veni de Libano, seror mea sponsa, veni de Libano. Perfecta . per apostolos, eorumque discipulos, et in omnibus mandatis et fide fundata ., in antedicto libello* plebe . , quam ostendit Spiritus sanctus in montem myrrhae collemque thuris effectam, nunc eius conversionis exemplo aliam potentissimam in malitia ferocissimamque, idest absconsam et altam sapientiam mundi incolentem, de excelsis montibus vocat. Unde, nisi signis et virtutibus et humilitatis exemplo adduxisset eam per apostolos ad cultum nominis sui Christus, doctrinae illuc

* lib. VI. fin.

(1) Apponii (non Aponii ut in ed.) qui septimo Christi vixit saeculo, explanationis (non commentariorum ut in ed.) in Canticum Salomonis libri sex priores iamdiu extant in Patrum bibliotheca Lugdun. T. XIV. Atqui ego sex alios eiusdem Apponii ineditos libros, qui praedicti cantici explanationem absolvunt, olim deprehenderam in codice mediolanensi ambrosiano D. 37. part. sup. et nuper etiam in romano bibliothecae sessorianae codice observati fuerunt; quem reliquum vetustissimi auctoris laborem, ne is diutius cum blattis dimicet, nunc ego, partim saltem, in hoc meo volumine divulgare constitui. Posteriorum enim sex librorum nonnisi summariolum quoddam mendosum subtexitus Lucae abbatis in praedict. Lugdun. B.

Digitized by Google

nunquam proficeret accessus ; quod nunc operante domino Christo per servos suos cotidie in magicarum artium hominibus, in maleficis, in sacrilegis, et in ferocissimis gentibus fieri videmus. Haec namque plebs vocatur de Libano, de alta et superba sapientia, quae sibi in litteratura et philosophia confidebat. Et ideo soror appellatur, quia nonnulli ex ipsa perscrutantes studiose unum, verum, invisibilem, innatum, incorporeum confessi sunt Deum caeli, et hunc humanae naturae parentem, idest hominum creatorem ; sed sibi, et non donanti Deo scientiam adscribentes, stulti sunt reputati. Qui pia miseratione creatoris de superbiae montibus, ubi stando, in figmentis maiestatem quaerebant, praedictis signis et virtutibus ad planam (a) lucidissimamque fidem Christi vocantur. Quae plebs propter nitorem sermonis rhetorum vel philosophorum, in quorum doctrina quasi in montibus longe a creatoris notitia habitabat, montes Libani appellatur. In quo monte doctrinae erat quidem quasi odor Libani, sensus rationalis inditus a factore ; sed in vanitatibus et non in Dei honore fraglabat. Soror ergo, ut dictum est, propter sapientiae amorem appellatur; sponsa vero, propter gratiam sacrosancti lavacri, ubi unus cum Deo spiritus efficitur anima.

Quod autem tertio vocatur dicendo : *veni de Libano soror mea sponsa, veni de Libano, veni*; in Trinitatis confessione ad tanti regis consortium venire docetur. Et tria remedia ei tribus medicamentis a caelesti medico, si necesse fuerit, promittuntur ; primum scilicet baptismi, secundum paenitentiae, tertium beati martyrii conferendum. Quamvis enim magna sibi videatur anima, nisi vocante Deo per scripturas divinas de altitudine infla-

(a) Summarium *plenam*.

Digitized by Google

tae sapientiae, pennis obocdientiae deposuerit se ad planam et simplicem Christi doctrinam, ad montem paradisi ascendere minime poterit, ubi verissimi odores vitae aeternae repositi sunt. Quae plebs quantum cum magno mysterio de Libano ad consortium Christi regis, ut regina vocatur, tanto altiori mysterio promittitur coronari dicendo: *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Interpretatur autem Amana *mecum* in hebraea vel syra lingua; per quod docuit illam animam coronari, quae cum Christo effecta fuerit unum; quales erant illorum animae, de quibus dicebat ipse Salvator ad patrem: pater sicut ego et tu unum sumus, ita et hi in nobis unum sint. Huius ergo ad ecclesiam vox est assumpti hominis, de quo magister gentium Paulus dicit: humiliavit se usque ad mortem crucis; propter quod illum Deus exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum. Hic utique vocatae credentique in se plebi vel animae promittit dicendo, coronaberis de capite mecum. Benedictio est ergo credentis in Christo animae corona, de qua propheta credentibus nuntiat in octogesimo tertio psalmo: benedictionem dabit, qui legem dedit. Quae cum in diversis donis charismatum gratiarum detur, tamen in martyrii morte quam pretiosa sit declaratur. Quae corona primum post maledictionem primi hominis super Christum a capite Deo in columbae specie in Iordanem descendit. De qua in benedictionibus duodecim patriarcharum iam tunc in Christi persona sub vocabulo Ioseph designavit dicendo: benedictio illius, qui

Digitized by Google

apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, et super verticem nazaraei eius. Nam sicut diadematis corona, in cuius capite fuerit, omnium hominum dominus dicitur, ita et haec benedictio Spiritus sancti de capite, patre omnipotente, super Christum porrecta, qui est ecclesiae caput, verum imperatorem assumptum hominem fecit, cui omnis lingua confiteatur, et omne flectatur genu. Qui cum assumente verbo patris unum effectus, ecclesiae impertit coronam, per quem ab omni conditione libera efficitur et regina; sicut docet apostolus: ubi spiritus Domini, ibi libertas. Quae corona septem pretiosis gemmis per septiformem spiritum in capite ecclesiae toto mundo coruscat. Ubi ergo vocata venerit anima ad Christum, fit quaedam placidissima commutatio; dat videlicet oboedientiae (*a*) voluntatem; descendens ad Iordanis lavacrum, et inaestimabilem suscipit supradictam coronam de capite Christi, quod est omnipotens Deus, secundum beati Pauli sententiam, qui caput Christi asseruit Deum.

Sed haec corona quinque vocabulis praesenti versiculo super animam ostenditur confirmari cum ait: *coronaberis de capite Amana, d vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Hoc est, ut credat vocanti Deo, ut baptizetur, ut anathema dicat diabolo, qui eam elongaverat a creatore, ut corpus Christi sibi coniungat, et eius sanguinem assumat in se. Nam sicut Amana *mecum* interpretatur, ita et Sanir leva novitatem, vel dens (*b*) lucernae. Cum igitur vocati per scripturas divinas vel ore doctorum venerimus ad secundam generationem sacrosancti

(*a*) Summ. *obedientem.* (*b*) Summ. ridicule *Deus lucernae.* Est autem ab hebr. שֵׁן *dens*, et אוֹר *lumen*.

Digitized by Google

baptismatis, ibi deposita vetustate erroris, levamus super nos novitatem sensus, levamus novum hominem de vertice novitatis, idest a summa et ineffabili divinitate, quam utique tres personas in unam aeternitatem manentes super nos confitendo levamus. Quae tribus vocabulis, uno splendore credentes illuminat; sicut lucerna tribus materiis, lini scilicet, olei, et ignis plena unum lumen ostendit, quod dentem (*a*) lucernae intellegere possumus. Quando enim confitemur nos credere in Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, levamus super nos novitatem, et ex vetere efficimur modo geniti infantes. Ubi vero renuntiaverit quis mundo, et quae gloriosa mundi videntur, efficitur lucerna; in qua verbum Dei lucens (*b*) illuminat in ignorantiae tenebris ambulantes (*c*), qualis erat lucerna beatus ille Baptista Iohannes, quem Deus pater Christo suo paraverat praecursorem, de quo propheta praedixit ex patris persona: paravi lucernam Christo meo. Et ipse Salvator confirmat dicendo: Iohannes lucerna fuit, et vos voluistis ad horam exultare in lumine eius. In his utique talibus viris verbum patris Christus loquendo resplendet, qui est vertex Sanir, super quem resedit plenitudo deitatis, summa maiestas. De cuius novitate tollunt vel levant super se illi, de quibus ecclesia coronatur (*d*).

Coronatur enim ecclesia de capite Amana in martyribus; de vertice Sanir in eis, qui non indigent post baptismum paenitentia; coronatur de Hermon, de his scilicet qui post violatum baptismum, et nefanda crimina anathemate digni ad paenitentiam conversi angelis in caelo gaudium, et ecclesiae in terris coronam prae-

(*a*) Summ. perverse *ardentem*. (*b*) Summ. *lucem*. (*c*) Locus corruptus in summario. (*d*) Summ. corrupt.

Digitized by Google

parare ex suae fructu paenitentiae edocentur; eo quod Hermon anathema interpretatur. An non tibi videtur de talibus ecclesia coronari, cum videas raptorem alienarum rerum propria largientem? in persecutore martyrem? latronem paradisum possidere? meretricem virginibus comparatam Christi sepulturam praevenientem? cum videas blasphemum et contumacem Christi, pro Christo cum omni laetitia contumelias passum non reponere talionem, verberibus affectum gaudere? Ex ipsis ergo materiis, quas diabolus pro spoliis possidebat, Christo vincente, de eius manibus ereptis, ecclesiae corona cotidie fabricatur.

Coronatur et de cubilibus leonum, et de montibus pardorum. Daemones igitur pro multis calliditatibus suis, et variis deceptionum suarum artibus multis nominibus appellantur. Pro crudelitatis saevitia, leones; pro magicarum artium, et variorum criminum (a) adinventione, pardi nuncupantur. In quorum persona diversae gentes, quando relinquebant Deum, super populum Iudaeorum mittebantur ad vindictam. De quibus ait Hieremias propheta: vorabit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastabit eos; pardus vigilans super civitates eorum discurrit. Item beatus Petrus apostolus conmonet auditores suos: vigilate, inquit, et orate, quia inimicus vester diabolus ut leo rugiens circuit quaerens quem devoret. De quarum bestiarum cubilibus vel montibus, vox Christi repromittit ecclesiam coronari dicendo: *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Quemadmodum enim leones occupant sibi cubilia in spelaeis tenebrosis, ubi captam devorant praedam; et ut

(a) Summ. vitiose *terminorum.*

Digitized by Google

pardi secretissimos montes, ubi discurrentes, animalia simpliciora captivent; ita et praedicti daemones in subditorum sibi hominum mentibus prolongantium a creatoris notitia, cubilia collocaverant, in quibus saevitiam suam per homicidia, per crudelissima sacrificia, per humanarum carnium devorationem explebant. In aliis vero per incantationes magicarum artium, per maleficia, per auguria, per astrologiam, per mathesim, et avium voces vel transitum, per haruspicinae vel fibrarum inspectionem, montes sibi abditissimos in talium cordibus fecerant daemones. Nam quid dissimile habebant leonibus, vel pardis gens Zelonum, vel Ponticae, et horum similes quam plurimae gentes, in quibus inter multas alias crudelitates, ut leones hominum carnes, daemones devorabant? qui per has abhominationes vere in suis mentibus leonum daemonum cubilia praeparabant. An non tibi videntur montes esse pardorum Iamnes et Mambres magi Aegyptiorum qui restiterunt Moysi? qui utique inter alios homines operum magnitudine velut montes intendebantur. Et huiusmodi multos haberi consimiles nemo est qui nesciat. De quorum montibus eos virtus nominis Christi in adventu suo expugnatos, longe fugavit; quibus expulsis, nunc ipse potentissimus victor in eorum cordibus leo de tribu Iuda habitator existit, probante beato Paulo: fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Et vos estis templum Dei, et Spiritus sanctus habitat in vobis. Et ipse Christus in evangelio: si quis diligit me, inquit, et mandata mea servat, ego et pater veniemus, et mansionem faciemus in eo.

De illis ergo nequissimis gentibus vel personis, quae praedicta scelera perpetrabant, haec prophetata ab Spi-

Digitized by Google

ritu sancto ore Salomonis intellegamus, quibus nulla opera legis, nulla praecessit observatio mandatorum; nisi sola voluntas, quae a Deo per auditum evangelii praeparatur. Quae praeparatio gignit fidem in Domino uno et vero; quae fides salutis occasio est, per quam ad notitiam Dei per baptismum venientes, diversa praeclara opera pro spe vitae aeternae facientes, variis pretiosis gemmis eorum animae comparatae in diademate ecclesiae affigi probantur. De quibus promittebatur ei per Isaiam prophetam: vivo ego, dicit dominus Deus, quia omnibus his sicut vestimento vestieris, et quasi sponsa ornamento circumdabunt tibi eos, et erunt reges nutritores tui, et reginae nutrices tuae; vultu in terra dimisso, pulverem pedum tuorum lingent, et scies quoniam ego dominus Deus tuus, super quo non confundentur qui expectant eum.

Haec est utique, soror, sponsa, plebs, quae variarum gentium ferocissimarumque, in alta sapientia, vel alta crudelitate, vel superbia commorans prophetata est coronari. Quae ex nequissimis supradictis personis fidelissimos confessores et martyres suscipiendo ornamenta in membris suis, tantae pulchritudinis effecta est, ut etiam ipsi creatori suo sponso grande miraculum generet, et quodammodo vulnus cordi infligat; cum aspiciet eam videlicet in supradictis martyribus rutilare unguento proprii sanguinis delibutam, flammarum aromatibus redolentem; stibio lacrimarum oculos depictam, in paenitentibus; crine capitis, in divitiarum perditione pro suo nomine tolerantiae pectine usque ad collum deductam. Hanc utique gloriam pulchritudinis
v. 9. intuens dicit: *vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum, et in uno crine colli tui.*

Digitized by Google

Vocata igitur de Libano, ut dicimus, de alta sapientia, quae stultitia reputata est, et de thurificationis ritu coronata per ea, quae supra diximus, ut regina cum Christo de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum; ut praedictum est de anima conversa ad verum Deum; ut gemmis pretiosis esse eam ornatam, quae aliquando cubilia leonum, et montes pardorum fuisse intelleguntur. Nunc ergo nimio decore radiante, admirando dicit ei sponsus: vulnerasti cor meum. Sed vulneratio ista cordis non ad infirmitatem respicit sponsi, qui utique nullis subiacet passionibus; sed ad profectum fidei sponsae, et augmenta iustitiae, ad ardentissimam fidem, vel ad profectum paenitentiae, et ad contemptum divitiarum supradictae plebis. Haec ergo, incipit primum ad pristinum decorem in quo creata est revocari, derelinquendo idola vocibus apostolorum et prophetarum, qui tuba sunt Christi vocati, de supradicto Libano veniens ad notitiam Christi sponsi. Post haec exemplo vitae suae docendo iniquos vias Domini, licet toto corpore ita sit pulchra, ut macula non sit in ea; tamen nimis fit decora in uno oculorum suorum, idest in eis quos unam fidem baptismatis praedicando, unum Deum, nec ante se, nec post se, nec initium nec finem habentem, unam paenitentiam demonstrando, singulare lumen posteris fecit splendere, qui per profectum vitae, ecclesiae oculus esse mereantur.

Duos esse oculos, quibus bona et mala corporaliter videmus, nemo ignorat; et nisi uterque oculus pulcher in homine fuerit, foedum necesse est reddat. Sed quomodo hic unus laudatur, ipse Redemptor noster rogandus est ut ostendat. Ipsum enim tertium oculum

Digitized by Google

animae audio numerantem, de quo dicit: si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Quem in se turbatum lamentans propheta, paenitentis persona suscepta, dicebat: turbatus est prae ira oculus meus. Et quem in se creari orabat idem propheta David dicendo: cor mundum crea in me Deus. Et de quo dixit Salvator Deum videre cum ait: beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. Vides ergo quod secundum Christi sententiam de duobus corporeis oculis, praesentia et terrena cernere docemur, et de uno oculo cordis qui in sponsa laudatur caelestia (*a*) contuemur. Iste procul dubio oculus qui futura perspicit, sive iustorum gloriam, sive impiorum supplicia, ad unam spem facit animam convolare. De cuius pulchritudine non solum angeli admirantur; sed etiam ipse eorum rex, sponsus proclamat cor suum vulneratum, in admiratione utique non passione, eo quod se ipsum quasi in lucidissimo speculo in eius inspicit corde. Est enim miraculum magnum Christo et angelis, ut haec anima quae caeco corde palpando per tenebrosos errorum montes superbiae, multitudinem Deorum turpium praedicabat, nunc ipso vocante se, quem ignorabat, pro (*b*) oculo utitur, sicut ait Michaeas propheta: si sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Simili modo et Zacharias propheta assignat dicendo: quia Dominus oculus est hominis, et omnium tribuum Israël; hoc est eorum qui per immaculatam vitam, in ecclesiae facie positi, et ipsi corde Deum vident, et aliis membris suo exemplo lumen ostendunt.

Sicut igitur ecclesiae singularis oculus in eisdem monstratur, qui propter unam spem inaestimabilem, in-

(*a*) Summ. mendose *ecclesiam*. (*b*) Summ. perperam *puro*.

Digitized by Google

corruptam, nunquam cessaturam, ab uno Deo promissam, pro eius unico amore, et nihil aliud corde intendunt; ita et nunc quaerendum est, quid sit ecclesiae unicus crinis, per quem sic exornetur, ut eius pulchritudine cor suum Christus proclamet vulneratum. In puellae namque figura per singulas personas diversa iustitiae opera facientes, quasi singulis membris ecclesia pulcherrima redditur. Hic quippe in uno crine illos opinor intellegi, qui vera philosophia nuditatem Christi secuti, in praedicta plebe repperiuntur; qui obliti aliquid se divitiarum vel honoris in saeculo possedisse, exemplo eius de capite germinati ecclesiae, quos ita caritatis plecta simul univit unanimitas fraternitatis in Christo, ut eos neque gladius, neque fames, neque nuditas, neque periculum, vel illa quae numerat beatus apostolus Paulus, a caritate Christi, quae est recta fides, valeat separare. Qui per infusionem olei laetitiae enutriti, usque ad ecclesiae collum exornandum perveniunt; idest usque ad gratiam Moysis, qui a capite Deo suscipiens verbum, ad totum ecclesiae corpus porrigebat docendo. Qui crinis non credendo Christo, minime exornat Iudaeos. De quo crine ecclesiae singularem laudem actus apostolorum extollit dicendo: multitudinis autem credentium Christo erat cor unum et anima una.

Tunc igitur unusquisque fidelium exornat ecclesiae collum, idest laetificat eum per quem loquitur Christus, quando propter unicum Christi amorem divitias regum vel honores contemnens exemplo, Moysis antea eligit affligi cum populo Dei pro iustitia, quam habere temporalem laetitiam huius mundi, qui Aegyptus intellegitur. Sicut enim soluti sparsique capilli foedant, et in unum collecti, per plectam unus crinis effecti, decorum

Digitized by Google

reddunt caput, vel collum sponsae; ita et multitudo fidelium misericordium * in uno vinculo caritatis ab Spiritu sancto conexa, propter unam spem vocationis Christi, inpendendo omnem substantiam suam in cibos pauperum, pulcherrimam nimis reddunt ecclesiam; eos alentes videlicet, qui a capite Christo cibum animae susceptum, ad ecclesiae membra, sua exhortatione praevidentiaque transmittunt. Duae sunt quippe inter ceteras operationes magnificas nimis placitae Deo, quae praesenti versiculo, oculo crineque valde speciosam animam vel ecclesiam reddere edocentur. Quae mihi videntur dignam paenitentiam, et veram absconsam hominibus misericordiam debere intellegi. Paenitentia enim collyrium cordis esse probatur, et interioris hominis oculus, de quo Deus videtur. Misericordia vero crinis adornatio, benedictionumque receptaculum, de quo parentis maledictione abstersa, per aquam benedictionis unguentum descendat, per quod ante tribunal Christi splendore tali huiusmodi plebs eius ore laudata refulget cum dicitur: venite benedicti patris mei; esurivi enim, sitivi, nudus fui, in carcere fui, et ministrastis mihi. Haec sunt utique praecipua duo membra in ecclesiae corpore; ubi se quasi in speculo intendens sponsus prae admiratione gaudii proclamat cor suum vulneratum cum ait: vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Oculus ergo decorat caput, crines collum exornant. De collo vero pectori infunditur verbum doctrinae, ex quo germinant mammae, vel ubera, quae impleta nutriunt parvulos adhuc, qui nuper cotidie generantur, de quibus mammis sequenti dicitur versu

* l. m. *misericordium*.

v. 10. *Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa!*

Digitized by Google

Pulchriora ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

Mammae igitur ad foecunditatis benedictionem, ubera vero ad virginitatis gloriam respicere opinamur: quae sacramenta per incarnationem Christi futura, ore Salomonis ad ecclesiae decorem Spiritus sanctus praedixit. In genetricibus enim mammae, in virginibus ubera appellantur; quibus ecclesia ex tempore apparitionis Christi utrisque pulchra ostenditur, eo quod cotidie concipit, cotidie parit, cotidie lactat, et virgo est. Hoc igitur qui non credit Deum per ecclesiam facere, quod fecit per virginem Mariam, infelix, incredulus, miser est. Nam ut moralem sensum non omittamus, quando immaculatum torum coniugii docent in sanctificationem posteritatis possidendum antistites populi christiani, et hoc non in passionem ignominiae, sed ad gloriam auctoris naturae, pulcherrimas mammas lactentibus ecclesia porrigit, sicut fecit per eum qui dicebat: unusquisque vir suam uxorem habeat, et unaquaeque mulier suum virum habeat; et vir mulieri debitum reddat, similiter et mulier viro. Et mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Et qui suam uxorem diligit, carnem suam diligit. Et servis: oboedite dominis vestris cum omni timore, non ad oculum servientes, sed ex fide sicut Deo; scientes quod a domino recipietis retributionem. Et vos, domini, quod iustum est servis praestate. Filii oboedite parentibus cum omni honore. Parentes diligite filios vestros. Mulieres subditae estote viris vestris sicut dominis. Viri diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad eas. Et ad discipulum Timotheum scribit: divitibus, inquit, hu-

Digitized by Google

ius saeculi praecipe non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo qui dat nobis omnia affluenter. Admone eos divites fieri in fide, facile tribuere non habenti. Et alia multa his similia.

Cum ergo talia proferuntur ad plebem ab his qui habent locum docendi, mammae parvulis porriguntur. Quando vero profundiori mysterio sensus scripturae divinae tractantur, et de arcanis, vel quae ad gloriam maneant conservantibus castitatem, et quam magnum sit sacramentum integritatis, quod Dominus, propter quod arduum iter est, non legalibus praeceptis inseruit, sed beatus Paulus in quo Christus loquitur sancto consilio persuadet. Sive cum individuae Trinitatis unitas (*a*) traditur, cum de gratia Dei, et animae libertate tractatur, ecclesiae ubera pulchriora sunt vino; illo scilicet gaudii nuntio quod prophetarum ore laudatur; dum patriarcharum vita eorumque coniugia casta laudantur, et eorum persona ad typum ecclesiae exponitur portendisse; ut Abraham pater gentium, Isaac gaudium, Iacob luctator vel supplantator; ut Sara virtus, ut Rebecca sapientia, ut Rachel ovis interpretatur. Quomodo tria haec, virtus tolerantiae in adversis, sapientia quae in fine laudatur, et ovium mansuetudo quae ad beatorum terram perducit Trinitati coniuncta, patri gaudio, et supplantatori in ecclesiae praeluxerit forma.

Quomodo in figura Christi fuerit Iacob patriarcha, et quatuor coniugia eius quattuor evangelia praefigurata, vero Iacob domino Christo subplantatori diaboli coniuncta sint, quae secundum spiritum duodecim apostolos genuerunt, de quibus innumera multitudo germi-

(*a*) Summ. absurde *puritas*.

Digitized by Google

nasse probatur. Sicut Iacob quattuor coniugiis duodecim patriarchas legitur genuisse; ut Matthaei evangelium in Lia intellegatur; Iohannis in Rachel, quae novissima genuit, qui ex ipsa gente ducunt originem, de quaque Christus secundum carnem; ut Lia et Rachel consanguinitate iunctae Iacob. Balam vero, et Zelpham, Marci et Lucae tenuisse imaginem; qui non ex regia gente hebraea, sicut Iohannes et Matthaeus, sed de extranea gente incircumcisa Graecorum; quos non dignitas gentis, sed Christi coniunctio ad nobilitatis culmen perduxit, ut magnarum animarum genetrices efficerentur. De quo numero erat beatus ille qui dicebat: per evangelium ego vos genui.

Vel quae sit causa ut quattuor animalia, homo, leo, vitulus, et aquila, in quattuor evangelistis accipiantur, et quomodo ipsa quattuor unum corpus efficiant Christi; unam eius victoriam passionis, una voce narrantia. Hominis namque facies in Matthaeo, humanitatis eius nativitatem narrante. Leonis potentia in Marco, qui ut leonis vocem in deserto clamantis inchoando evangelium induit. Vitulus vero immolatus pro totius mundi peccato in Luca, qui Zachariam ponentem incensum in altare in tempore sacrificii vespertini, evangelii sui initium sumit. Aquila in Iohanne, qui hominum mentes a sensu iudaico, ut aquila praedam deiectis terrenis ad caelum levavit: dum quaerentibus eius originem, qui susceptum hominem ad caelum portavit, ostendit dicendo: in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Et ne ultra curiositas humana progrederetur quaerendo, ait: hoc erat in principio apud Deum. Haec utique dum pie exponendo tractantur, pulchriora supradicto vino ab sponso ecclesiae

Digitized by Google

ubera praedicantur; quia quod in veteri testamento obtectum mysteriis nuntiabatur, nunc ab his qui sponsae ubera esse meruerunt, iam factum luce clarius cotidie demonstratur. Quippe chrismatis visibilis Spiritus sancti unguenta infundunt credentibus, et docendo spiritalia opera pietatis, quibus Christus quasi odoribus suavissimis delectatur, liniunt eas animas, quae per supradicta opera pietatis, et fidem inviolatam caesaries sponsae efficiuntur. In quibus delibuta, pulchra mammis uberibusque, voce sponsi laudatur dicendo: *et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

Plurali itaque numero unguenta (*a*) pro multiplici gratia, quae ab uno Spiritu sancto procedit, intellegitur posuisse. Qui in ecclesiae corpore variis virtutibus suavissimos diversis operibus in conspectu Christi reddit odores. Is namque super omnem credentem in lavacro descendit; sed ibi cuiusque virtutibus signorum reddit odorem, ubi semper bonae voluntatis igniculo sanctorumque operum conmixtione fervescit. Sicut commonet gentium doctor: orationi inquit instantes, spiritu ferventes. Et alibi: spiritum, ait, nolite extinguere, prophetias nolite spernere. Qui licet multiplex sit, in decem vocabulis in ecclesiae membris docuit esse effusum magister gentium Paulus dicendo: alii datur manifestatio spiritus, alii sermo sapientiae, alii sermo scientiae, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetatio, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Et hoc est quod praefigurabat unguentum illud, quod iussus est Moyses componere in veteri testamento, quod quinque speciebus admixto oleo mandatum est confici; ut fieret pon-

(*a*) Summ. incongruenter *unguentum*.

Digitized by Google

tificale unguentum, de quo Aaron, et filii eius, et omnia utensilia tabernaculi ungerentur.

Quod ut vere Spiritus paraclyti ostenderet figuram, praecipitur nequis eo eo vel tali compositione alius ungeretur, nisi supradicti qui ecclesiae portabant imaginem. Qui Spiritus nunc quinque motibus, quibus actiones corporeae peraguntur consociatus, idest visus, auditus, odoratus, gustus, tactusque, cum eius voluntatem impleverint haec officia, fraglantissimis (*a*) unguentis in conspectu Domini anima redolebit; et quae per singula supradicta singulos foetores peccando habuit generare, singulos virtutum suarum odores quasi artifex unguentarius suo creatori componit. Haec sunt utique unguenta charismatum, quae praecellunt illa omnia aromata, quae in veteri testamento, quando erectum est tabernaculum a duodecim principibus, inter alia munera offerri sunt iussa. De quibus praesenti versiculo dicitur: odor unguentorum tuorum super omnia aromata. A quibus utique, vel a diversitate illa sacrificiorum, vel odoris fraglantia, multum praecellit gratiarum diversitas, vel institiae opera quae dominus noster Christus in suo adventu credentibus in se impertiri dignatus est, quae animam sive ecclesiam suavissimis odoribus per singula membra faciunt redolere.

Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lin- v. 11.
gua tua. Singulas scilicet donationum gratias in singulis membris ecclesiae collocatas ostendit. Favum videlicet, legem veteris testamenti intellegere possumus, quod de floribus caelorum campi, in modum apum a patriarchis et prophetis vario sermone futurae gloriae redemptionis nostrae constructum extrinsecus, unam mirabilem sua-

(*a*) Haec est constans scriptura in antiquis Latinorum codicibus.

Digitized by Google

vitatem concludit. Quem favum moralia (*a*) praedicando, idest mores quos diligit Deus, vel mansuetudinis formam ostendendo distillant hi, qui ecclesiae labia esse meruerunt. Illi quippe, quorum tota vita martyrium est, qui sibi pro spe futura exilium, quod persecutores pro poena martyribus iniungebant, voluntarie indicunt. De quibus indesinenter favus futurae lactitiae, laudes angelorum imitando, hymnorum canticorumque dulcedo distillatur. Qui opus iustitiae, pacem excolunt diligendo, et cultum iustitiae silentio decorare probantur; quorum omne negotium vitae praesentis in Dei omnipotentis laudibus pendet. Linguam vero eos intellegere possumus, qui sermone paratissimo et scientia sancta praediti sunt ad revincendos ecclesiae adversarios; vel eos, qui propter defensionem ecclesiae cuiuslibet causae nullius pertimescunt personam; qui vulneratis diaboli iaculo animabus mel medicinae sermonis illiniunt ad emendandas de cordibus eorum peccati putredines. Lac autem consolationis verbum parvulis adhuc in Christo ad profectum iustitiae, vel ad paenitentiam exhortando ministrant, et amarissimam scientiam, inflatamque litteraturam mundanae sapientiae mitissimo sermone in mellis suavitatem convertunt; qui sanguinolentam superbiam in candorem (*b*) humilitatis et benignitatis lac mutarunt.

Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Vestimenta ecclesiae eos opinor intellegi, qui in Dei omnipotentis honorem decimas de iustis laboribus suis ministris ecclesiae praebent (*c*), sicut in levitico Dominus fieri iubet. Qui necessaria corporis altari inservientibus libenter impertiuntur, et perituros cibos hic in saeculo

(*a*) Summ. vitiose *mollia*. (*b*) Summ. pessime *superbum candorem*. (*c*) Summ. mendose *praebenti*.

Digitized by Google

manentes egenis ministrant, et indumentis pauperum corpora tegunt, ut cum eis mereantur futuri saeculi aeternum regnum partiri. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum; horum dumtaxat (a), qui propter amorem Dei, et spem futurae laetitiae, voluntate potius quam necessitate, se in pauperum numero aggregaverunt. Talibus quam maxime ministrantes, iuste digneque suavissimos odores redolentia vestimenta ecclesiae collaudantur. Quorum famam eis similem pronuntiat Spiritus sanctus, qui sacrificium Dei efficiuntur, idest martyrum, eo quod thus soli Deo in odorem suavitatis offerri sit iussum. Nam sicut vestimenta daemonum intelleguntur illi, per quos vestitos diabolus persequitur innocentes; et illi, per quos ecclesia spoliatur substantia temporali, nudantur pauperes, affliguntur pupilli et viduae, iniuriis et falsis criminibus lacessiuntur ministri altaris, quos utique non est dubium putredine iniquitatis suae, ultra omnem foetorem in conspectu Dei et angelorum horridos comprobari; ita et hi qui ecclesiam in pauperibus vel in omnibus supradictis vestiunt, et ab impugnatione tuentur, suavissimi odoris ecclesiae vestimenta efficiuntur. De quibus ecclesiae dicitur: odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris: idest sicut eorum laus toto redolet mundo, de quibus supra dictum est, qui se Deo patri pro Christi filii eius nomine moriendo sacrificium obtulerunt. Quorum figuram vel typum gerebat thuris species, quod in thymiama sanctorum conmixtum, singulari Deo in odorem suavitatis in altari imponebatur.

Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, v. 12.
fons signatus. Emissiones tuae, paradisus malorum punico- v. 13.

(a) Summ. absurde *quomodo cuncti.*

Digitized by Google

v. 14. *rum , cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo , nardus et crocus. Fistula , et cinnamomum , cum universis lignis Libani. Myrrha , et aloë , cum omnibus primis unguentis.*

v. 15. *Fons hortorum , puteus aquarum viventium , quae fluunt impetu de Libano.*

Perfectam virtutibus in singulis membris plebem vocatam de Libano cum ostendisset Spiritus sanctus ore Salomonis, nunc gloriosum fructum eius laudibus effert; et quomodo per culturam apostolicae doctrinae ad aetatem fertilitatis iustitiae pervenerit, docet; et quas species medicinae protulerit, vel quam fraglantissimos germinayerit flores vitae exemplo , vel quam suavissimam pomorum copiam , unde ipse Dominus epuletur , sicut in sequentibus eius edocet vox ; veniat, inquit, dilectus meus in hortum suum , et comedat de fructu pomorum suorum. In qua (*a*) utique in tantum apostolicus profecit labor, ut magnae delectationis hortus, et deambulatorium regis caelorum effecta sit. In qua nulla desit medicina salutis ; quae ita undique vitam imitando apostolicam , et fidei regulam conservando, praeceptorum maceria exclusit furem diabolum, ut pro magna laude hortus conclusus , et fons signatus regis sigillo sit appellata , eo quod novum ortum germen David , qui in signum gentium ad salutem stat, novo ordine natum de virgine susceptura Salvatorem praedicetur. Conclusus enim hortus intellegendus est quicumque nulla fraude corruptionis reserato utero credit et confitetur editum Salvatorem. Erit hortus irriguus, quo nulli furi immundi spiritus adeundi patebit ingressus.

Est igitur soror hortus conclusus , ecclesia vel ani-

(*a*) Summ. mendosissime *quam signaculum ex pretioso fonte suscipiunt iniqui.*

Digitized by Google

ma credendo perfectum hominem Christum, virginem peperisse. Est et fons signatus verum Deum verbum patris credendo in homine ex utero processisse. Qui fons vitae, et fons luminis a propheta est appellatus. De quo dicit ad patrem: quoniam apud te fons vitae, in lumine tuo videbimus lumen. Fit ergo ecclesia hoc quasi Christi fons signatus, dum Christum ut caput suum toto diligit corde; utpote corpus eius effecta, sicut ipse de se confirmat Iudaeis dicendo: si illi, ad quos sermo Dei fiebat, dii sunt appellati, quem ergo pater signavit, et misit in mundum, dicitis quia blasphemat, Dei se filium confitendo? Sicut ergo fons vitae signatus a patre dicitur Christus; ita ecclesia fons signatus, regali videlicet signaculo crucis, appellatur a Christo, continens intra se aquam baptismatis; quod signaculum in frontem suscipiunt hi, qui in signato baptismatis fonte lavantur. Quos dixit emissiones paradisi malorum punicorum, cum pomorum fructibus, eo quod nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, et induerit Christum, qui mali granati arbor cum pomorum fructibus figuratur, ornamentum paradisi esse non poterit. Nam quicumque emissus ex utero ecclesiae paradisi(a) fuerit, necesse est ut arbor mali punici, idest similis Christo fiat, eius in se reparando imaginem, et non inani nomine solo, christianus; sed cum pomorum fructibus, operibus bonis scilicet, fuerit; ut et ipse in conversatione mente sanctus sit, et doctrina sua vel exemplo patientiae, spiritale cibum esurientibus tribuat suavitatis; et eos qui tribulationibus et maeroribus fatigantur confirmet, sicut in praesenti ait: *cypri cum nardo.*

Interpretatur enim cyprus tristitia vel maeror. *Credo*

(a) Sunm. *ex veteri ecclesiae paradiso.*

Digitized by Google

ergo pomorum ordines ministeriorum in ecclesia positos, *qui pro* (*a*) dulcedine pomorum punicorum (quod est laetitia, qua comperta, conversi ad Deum gaudemus) amara et tristia persequutionum nobis edenda geminant poma. Quae tamen si patienter suscipiantur, continuo medicinae consolatio, Spiritus sancti nardus, subsequitur. Cuius commonitione futura respicientes, praesentes non sinamur pavere tristitias. Nardi enim et croci consolationis medicinae post tristitias et maerores sequuntur. Per quod spe iam tenemus promissa eius qui dixit: beati qui lugent, quia ipsi consolabuntur. Nardus enim rigorem (*b*) de algentibus membris expellit; crocus ardentibus refrigeria confert: hoc est nardus timorem praesentis mortis expellit, et crocus futurae vitae amorem accendit.

Fistula, et cinnamomum cum universis lignis Libani. Fistula abstinentiae fructum significat, eo quod in tenerrimis virgulis siccata (*c*) a verme propter dulcedinem omni medulla conrosa, solo propter austeritatem cortice reservatur, quae infirmitates omnium viscerum intrinsecus corporis curat; sicut (*d*) abstinentia omnem male dulcem medullam concupiscentiae devorat, et extenuata pelle corporis, animae medicinam reservat. Cinnamomum autem, secundum quod vicino cespite (*e*) fistulae gignitur, et diutissime suam vivacitatem servare probatur, spiritalis sensus vivacitatem, sapientiae vel scientiae, abstinentiae vivacitate, gigni demonstrat. Cum universis vero lignis Libani quod ait (*f*), magni odoris fructus spiritus, quos apostolus enumerat Paulus, simul

(*a*) Locus obscurus vel corruptus in codice. (*b*) Summ. *frigorem* (*c*) Ita summ. At cod. *secata*. (*d*) Summ. *si et*. (*e*) Summ. *capite* (*f*) Summ. *quosdam*.

Digitized by Google

germinare de abstinentia, et verbo sapientiae docuit.

Myrrha, et aloë cum omnibus primis unguentis. Myrrha ad mortificationem membrorum accipienda est, secundum apostoli disciplinam, quae ad praesens amara videtur, dicentis: mortificate membra vestra, quae sunt super terram; fornicatio, immunditia, ira, rixae, dissensiones, et cetera. Haec utique non in caelo vivunt, ubi Pauli conversatio erat; sed in non mortificatis membris, terrenis actionibus animam captivam tenentibus. Quae disciplina, caelestis medicina salutis cognoscitur de arbore vitae Christo procedens, de qua dixit propheta: disciplina tua correxit me in finem. Et alio loco: bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me. Sicut myrrha de arbore manare probatur, et ad multas infirmitates mederi, ut alio loco vox ecclesiae confirmat: fasciculus myrrhae, inquit, dilectus meus mihi. Aloë autem propter sucum, virtutemque herbae monstratur, et in multis vivis ac mortuis corporibus necessaria species edocetur; medicinale illud exemplum, multiplici medela animarum et corporum repletum, quod secundum carnem factus (*a*) per contemptum habendi, et nullam ab omnibus gloriam requirendo, tradidit mortalibus Christus, intelligendum est. Quibus pigmentis, ut haec vera intellegantur, aspersus ponitur in sepulchro cum omnibus primis unguentis, idest karismatibus sancti Spiritus et donationibus, de quibus delibutus magister gentium Paulus exultans dicit: omnia omnibus factus sum, ut omnes lucrifacerem. Qui spiritus multiplex, ita in animam, mundum sibi domicilium mentis parantem, invisibiliter illabitur, et unitur, sicut visibile oleum invisibiliter corpori uniri probatur. Et cum sit unus spi-

(*a*) Summ. *faecis*.

Digitized by Google

ritus replens orbem terrarum, multimoda dona impertiendo, et prima unguenta efficere comprobatur, et ideo prima unguenta supradicta huiusmodi dona appellavit: ut quaecumque de multis donationibus eius gratiam meruit possidere, prima credatur; quia in Deo nihil imum, nihil novissimum, sed totum primum, totum summum agnoscitur.

Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano. Una est ecclesia in toto mundo de apostolorum congregata personis, cuius caput corporis Christi, unus fons vitae per lavacri regenerationem cognoscitur. Quae per singulas gentes congregatis ad fidem membris conexa subsistit, et Christo unita per altitudinem sensuum Paraclyti, quem ut fluvium recepit in se, puteus aquarum viventium, de quo omnes ortae gentium nationes inundatione caelestis scientiae irrigantur, effecta est. Et quia multitudo animarum vel diversarum gentium, ut dictum est, nationes de eius fidei doctrina a Christo susceptа rigantur, ideo fons hortorum est nominata. Puteus vero aquarum viventium ad laudis cumulum omni naturae est nominata, eo quod profunda et occulta antiquae generationi sapientia Christi per Trinitatis mysterium, et de ea vel per eam in aliis gentibus inundasse intellegatur. Quae scientia vel notitia Trinitatis, quam scire vita est; ignorare, ultima mors; de illo monte procul dubio descendisse praesenti edocet loco, qui secundum Danielem sine manibus excisus de monte lapis, et tantae altitudinis mons effectus, ut totam terram impleret. Qui, propter quod sacrificium acceptabile repropitiationis pro hominum peccatis effectus est, Libanus nominatur, quod thus patria dicitur lingua. De quibus aquis promissum est per Isaiam prophetam dicendo: in

Digitized by Google

foramen aspidis ablactatus ab ubere mittet manum suam, et non nocebunt in monte sancto meo. Quia scientia Dei replebitur omnis terra, inundante sicut aqua maris. Et de quibus aquis ipse Christus commemorat: qui credit, inquit, in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc dicebat, ait evangelista, de spiritu, quem accepturi erant, credentes in eo.

Postea ergo vocata est de supradicto Libano plebs, quae inter omnes nationes magnis laudibus coronatur, quae non solum amica sicut retro dictae aliae sunt appellatae personae, sed soror, sponsa, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium: in qua plebe quantum habundavit iniquitas, tantum dicitur superhabundatura gratia Christi: in cuius adventu, coepit reparari paradisi hortus ad primam culturam per secundum Adam, qui desertatus fuerat per primum Adam; idest ubi in fide, qua unus creditur Deus, et pro amore Christi, per quem innotuit fidelium vita, confirmatae sunt animae martyrio coronari, nunc aquilo suscitatur, et auster a suis sedibus properare iubetur dicendo: *surge aquilo, et veni auster, perfla ortum meum, et fluant aromata illius.* Ut rigor (*a*) aquilonis, et calor austri temperato aëre efficiant poma paradiso provenire; quo possint commixto rigore tribulationis non inanes nimio securitatis calore bacae animarum paradisi defluere ad terrenos actus delapsae. Exaltando igitur regnum aquilonis super omnia regna orbis terrarum omnipotens Deus, quod est regnum romanum, surgere iubet, suscitando ab austro prophetas, ostendendo Christum suum per virginem, quem prophetae ab austro cecinerunt venturum, ut v. 16.

(*a*) Summ, *frigor*. Ita et mox.

Digitized by Google

ait Abbacuc propheta: Deus ab austro veniet, idest sermo patris, et sanctus de monte umbroso, qui assumptus intellegitur homo, ex condenso intactoque corpore, processisse. Coepit paradisus aromatibus, martyrum mortibus, pretiosis mirandisque odoribus redolere, et regi caelorum Domino omnique caelesti exercitui magnam efficere delectationis laetitiam, sicut praedixit propheta: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Revocata ergo ad notitiam creatoris post evulsionem paradisi humana natura, credendo ei et oboediendo, quasi arbusculae odorantissimae, ex quibus aromatum conficitur pulvis, in paradiso replantata est, in spe promissa confitenti in cruce latroni, cui dicitur: amen dico tibi, mecum eris hodie in paradiso. Sed quia gloriosus fructus occultus erat populo nascituro, et suavitatis odor, quem per amicitias diaboli amiserat in parentibus, aliter non poterat nisi per eius inimicitias reparari; permittitur regnum aquilonis, velut durissimus ventus surgere super omnia regna, in quo diabolus glutinatus durissimi praecepti flamine contritioneque poenarum, ad subtilitatem spiritalis sensus redactas credentium Christo animas ut tempestas decussis corporibus interficiendo, pretiosa aromata paradiso fudit. Lex enim vel evangeliorum doctrina ab austro spiritalem virtutem suo calore inspirans humanis mentibus, ut arbusculis indidit dulcissimi suci medullam; quam aquilonis immundus spiritus per regnum Romanorum, manibus truculentium, sanctorum corpora laniando, ad odorem suavitatis, nesciens, caelorum virtutibus, ut aromata, perfruendam produxit. Aromata ergo, ut saepe dictum est, multae fraglantissimae species in unum redactae,

Digitized by Google

pretiosum efficiunt pulverem, qui tunc maxime reddit suavitatis odorem, quando in necessarios usus fuerit ventilatus. Ita et Deo credentium animae tunc suavitatis exempli sui aromata fundunt posteris profutura, quando daemonum tempestate de corporibus fuerint patiendo decussae.

Pugnantibus igitur aquilone et austro, idest infidelitate et fide, impietate et pietate, maeroris spiritu et consolationis inter se, spectante sponsa, pretiosus aromaticus liquor martyrum sanguis fluxisse probatur. Agit namque horticuli vice nesciens Satanas, qui vere ut damnaticius obcaecatus malitia, et suo crudeli labore, hortum Domini aromaticis sanctorum floribus picturavit. Laboravit in malo, eius famulos persequendo, qui in bonis suo creatori servire contempsit. Ex quo enim per regnum romanum quasi perturbatum ab aquilone coepit persequutionis lolium reboare *, et rastris ungularum diversisque poenarum ferramentis sanctorum effodere carnes, inmanem copiam pomorum iustitiae diverso meritorum sapore paradisus exuberat. Ibi namque martyrum, confessorum, virginum, continentium, gratissimi institiae fructus; ibi virentia gramina castissimae copulae, lege concessae, diversi sexus vel aetatis credentium Christo, dulcissima poma meritorum de animae voluntate prolata; ibi post damnum integritatis, criminumque naufragia paenitentiae myrrha; ibi ex amore lectionis divinae scripturae ignitus sapientiae favus, eloquii dulcedinem continens diversarum gratiarum aromata. Ecce quibus epulis praeparatis, quibus amoenitatibus ad hortum paradisi ecclesia Christum invitat dicendo, ut sequens versiculus docet: *veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat de fructu pomorum suorum.* Cap. V. 1.

* ita cod.

Digitized by Google

Narrat igitur heic sponsa adulescentulis consodalibus suis, quomodo sponsa hortus laetitiae sit effecta, seu in hortum paradisi ad antiquam gloriam sit regressa, unde reatu commissi pulsa fuerat in Adam; et quae unius pomi contactu persuadente diabolo contra creatoris praeceptum vocem Domini sustinere non potuit ab ignominia nuditatis, nunc sacro lavacro mundata, retro dictis unguentis delibuta, praedictisque vestibus vel monilibus decorata, per eius praesentiam corporalem regali reddita aulae, ad commune convivium sponsum invitat, de quo dicit Baptista Iohannes: qui habet sponsam, sponsus est; ut primitias boni operis, fructum pomorum virginitatis ipse consecret, ipse delibet procedendo de virgine; ipse gaudii paenitentiae pomum susceptum ab ecclesia angelis transmittat ad caelum; ipse myrrhae (*a*) botrum degustans, regni retribuat munus; ipse dulcissimum mali punici, hymnorum canticorumque laudum, bibat liquorem, sacrificii suavitatem, quod iubetur per prophetā singulare sacrificium immolare dicendo: immola Deo sacrificium laudis, et redde altissimo vota tua. His itaque fructibus Christus in paradiso ecclesiae cotidie epulatur, et cum magna laetitia metit fructus bonae voluntatis, quos in anima seminavit creando; de quibus nunc ait sequenti versiculo: *veni in hortum meum, soror mea sponsa. Messui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi favum cum melle meo.*

Venit scilicet invitatus lacrimis prophetarum, vel omnium qui intellegere potuerunt tantam gloriam perditam terrae viventium reparari posse per eum. Venit in hortum plebis suae per incarnationis mysterium: messuit myrrham amaram quondam, nunc medicinae exem-

(*a*) Summ. absurde *misericordiae*.

Digitized by Google

plum, conversione truculenti latronis, cum aromatibus paenitentiae meretricis, vel illius qui direpta quadruplo reddidit aliena Zachaei, et propria divisit cum pauperibus. Messuit myrrham cum aromatibus suis dum latronis exemplo, homicida pro gladio saccum cineremque acciactus, devicto diabolo, relicta nocendi via, ad paradisum tendit armatus. Et meretrix pro stibio, et cerussa fletibus faciem, luminaque depingens, contemptis turpium osculis, pedes Salvatoris humidat osculando, et caelorum regnum invadit violenter. Cum publicanus, relicto raptoris officio, evangelii minister efficitur. Cum gens immundissima Chananeorum in syrophoenissa muliere catellorum importunitate, per medelam filiae, Dei populo sociatur. Cum centurio humilitatis sublimitate, fidei scintilla resplendens, incircumcisae gentis tenenti legem populo praeponitur Israël.

Comedit autem favum cum melle suo, in his delectando scilicet, qui studio pervigili intellegentiae legis divinae in corde suo, quasi in vasculo, prophetarum vel apostolorum verba ut flores congregant, et in modum apum rectae fidei expositionum favum (a) componunt. Qui per omne receptaculum doctrinae suae, illius incarnationis sacramentum, illius passionis et resurrectionis mysterium congregant mella : cuius eloquia dulciora super mel et favum more suo propheta testatur David; qui ut mel de favo, ita congruis testimoniis novum de veteri testamento producunt. De quo favo mellifluo Isaias propheta testatur dicendo de eo : si posuerit, inquit, pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu eius dirigetur : pro eo quod laboravit animam eius, videbit et saturabitur. Hos ergo tales,

(a) Summ. *pretiosissimum*, loco *expositionum*.

Digitized by Google

quorum omnis opera factis dictisque omnipotentis patris plena est, dulcissima in voluptate videbit, et saturabitur. Quem cibum manducare se dixit, quando fatigatus de itinere ad puteum Samaritanae bibere postulabat, cum ait apostolis: meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me patris. Doctrinam videlicet, quae nihil perverse de Trinitate aeterna, nihil de gratia Dei, nihil de libertate hominis, nihil de animae statu in se continet, favus est melle plenus. Hunc sponsus favum sumit in cibum, quem melle rectae fidei plenum, in ecclesia post resurrectionem suam in conspectu apostolorum postulatus ab eis comedit, et reliquias ipsis propinavit, ut eos participes suae laetitiae suarumque epularum in talium amorem facere monstraretur. Quicumque enim laetificat Christum, necesse est ut laetificet apostolos eius, qui cum eo unum effecti sunt, et super thronos sessuri sunt in iudicio. Omnis quippe orthodoxus talem construit favum doctrinae, qui Christo aptus sit cibus, qui dulcedinis in se contineat formam. Nam omnis haereticus construit quidem favum exponendo legem perverse, sed veritatis mella non congregando, minime ea pascitur Christus.

Et ideo docet suos sequenti versiculo, qualem favum debeant esurientes Dei verbum appetere, qui dulcis est animae cibus, dicendo: *comedite amici, et inebriamini carissimi.* Per talem enim doctrinam verbo caelesti saturantur Christi amici, quod ipse per apostolorum credulitatem se comedisse testatur; et eos sibi carissimos effici, laetitiaeque vino, sancti Spiritus virtute inebriari; quo pleni apostoli veniente Spiritu sancto super eos, ebrii putabantur. Quibus mirantibus, suae resurrectionis velocitatem exponit, dormisse quidem in mortem, sed nunquam

Digitized by Google

potuisse in huiusmodi somno retineri; sed expertum mortis soporem, et in aeternitatis vigilia perdurantem, sicut dicit apostolis post resurrectionem: quid ascendunt cogitationes in corde vestro? palpate et videte quia ipse ego sum, et non sum phantasma, quoniam spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Quos docet praesenti versiculo humanitatem a somno mortis detentam, non intrinsecus deitatem, dicendo: *ego dormio et cor meum vigilat.* v. 2.

Divinus utique sermo, qui sub cordis vocabulo intellegitur nominari, nunquam obdormit neque dormitat intra viscera carnis absconsus, qui baiulat dormientem, qui alta mysteria exponit amicis et carissimis suis in se credentibus, quos ad participium gaudii humanae salutis invitat; ne dum viderint eum secundum humanitatem in somno mortis detentum, deficiat fides eorum, per quam integram in eo semper vigilantem conspiciant maiestatem. Ego, inquit, dormio vobis per absentiam corporalem, sed vigilo corde, nunquam recedendo a vobis per praesentiam deitatis. Opinatur plerumque insipiens anima, Deum se ut dormientem fallere delinquendo, cum ab eius vindicta suspensa sententia in praesenti, futuro iudicio reservatur; sed non potest falli, in cuius manu sunt omnes fines terrae: et sicut cor totum vegetat corpus, ita totam mundi implendo agitat molem; cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIT LIBER SEPTIMUS.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER OCTAVUS.

Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.

In capite huius cantici dictum est sponsae ecclesiae et Christo nubenti nuptiale carmen ab Spiritu sancto ore Salomonis esse in mysteriis figuratum; quae ecclesia in his animabus, quae aliquando per opera bona immaculatae effectae, in domo mentis suae Deo habitaculum parant, et malis operibus claudunt ingressum, usque in diem iudicii, venientis ad eam per bonos actus, et recedentis per malos, personam Christi per singulas generationes inducit. Cum enim nullis tribulationibus stimulatur anima, non requirit an prope sit sponsus, an longe abierit, horrens desidias atras. Ubi autem nimium (*a*) amator animarum dominus Christus viderit eam securam, carnis deliciis occupatam, per quas ingressus praebetur in cor latroni diabolo, licet contemptus abierit contristatus parumper (*b*), tamen dum viderit eam vallatam insidiis iuimici, reversus per noctis secretum, idest per occultam conpunctionem, pulsat ostium mentis eius; ut suscitata a somno letali videat se periculis circumdatam, et deprecetur ad se ingredi adiutorem (*c*), ad cuius praesentiam necesse est omnes catervas daemonum effugari. Quae etiam, etsi expoliata iaceat veste, quam Christi gratia contulit, etsi nudati lotique sint pedes qui calciati fuerant spe beatitudinis consequendae in praeparatione evangelii pacis, non erubescat exurgere de lecto malae consuetudinis, et Christo pulsanti, paenitendo suae mentis aperire

(*a*) Summ. *omnium*. (*b*) Summ. vitiose *licet abiret*. (*c*) Summ. corrupte *deprecetur a se adiutorium*.

Digitized by Google

ingressum. Quod si differendo tempus de die in diem distulerit aperire, iratus pertransit ab huiusmodi atque declinat. Et quam iustas irascendi, declinandique habeat causas, praesenti versiculo docet, quomodo eam quadriformi amore mulcendo provocaverit de inertiae somno exsurgere, cum ait: *aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.*

Sorori igitur honorem tribuit, secundum carnis assumptae originem; amicae per lavacri reconciliationem, ubi ex inimicis amici efficiuntur homines Deo; columbae per imaginis eius reparationem, quae per Spiritus sancti coniunctionem reparata est, qui in columbae specie super ecclesiae caput Christum in Iordanem descendit; immaculatae vero, similitudinem eius, agnita rectissima fidei regula Trinitatis per repudium idololatriae, in se reformando, quae tamen ad hoc donum nisi effuso eius sanguine non poterat pervenire. Ecce quibus honoribus, quantis beneficiis provectam animam sibi ad consortium regni, et germanitatis gloriam sublimavit. Et haec numerat, ut memor horum, nulli praeter sibi mox ut pulsaverit aperiat sui cordis ingressum ante quam prolongetur offensus. Ut si forte praeventa daemonum arte clauserit Deo peccando, saltem mox pulsanti aperiat paenitendo. In quibus versiculis licet voluntas animae demonstretur, tamen nihil sibi sine adiutore Dei verbo in opere vel in sermone sapientiae propria virtute monetur praesumere. Quia sicut civitas quae suis fortissimis vallata muris consistit, quamvis referta sit populis, nisi intra se habuerit doctissimos fortesque armatos, subruitur; ita et anima etiamsi signis et virtutibus polleat, et omni scientia sit repleta, nisi spiritum veritatis, qui cum Christo unum est, in-

Digitized by Google

tra se habuerit, subruta daemonum vastitate nudabitur.

Si vis, inquit, aliquid boni operis agere, o immaculata anima, noli clauso ostio propriis viribus confidendo casso labore consumi; sed aperi mihi ostium mentis tuae; invocando me in veritate, exquirendo me in toto corde. Praebe mihi velle tuum, ut per te adversarium tuum triumphem. Praebe mihi tubam vocem tuam, ut verba mea audiantur in ore tuo. Praebe mihi calamum linguam tuam, ut meo articulo scripta, per te laudentur revelata quaeque occulta legis mysteria. Aperi inquit mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium; rore inquit sapientiae, rore prudentiae, rore scientiae, quo tu indiges de te praesumendo, meum plenum est caput. Aperi ergo mihi pie casteque vivendo; ut ad ingressum meum ros iste descendat in te, per cuius roris venam, fontes, et flumina de tuo corde procedant: per quem iustitiam scripserunt patriarchae, prophetae, apostoli: sine quo iniustitiam scripserunt philosophi, vel haeretici. De quorum mente non flumina quae irrigarent animas sitientes vitam aeternam, sed amara et venenosa fluenta egressa sunt, suggerente diabolo, quae usque hodie interficiunt ignorantes, qui clauso ostio cordis, superbo spiritu semper sedentes non aperuerunt ei, qui docet hominem scientiam, et cum de Deo sine Deo volubilitate linguae resonantia verba rotarent, pro honore laudis, in Deum blasphemias scripserunt. Vox igitur domini Christi est dicentis ad animam: aperi mihi, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.

Et quod sit caput Christi, magister gentium Paulus docendo ostendit: caput inquit mulieris vir, et caput

Digitized by Google

viri Christus, caput autem Christi Deus. Ipse est utique plenus praedicto rore sapientiae et prudentiae et scientiae. Cincinni vero huius capitis intelleguntur eius ministri angeli, archangeli, virtutes, throni, dominationes, cohaerentes ei, facientes voluntatem eius : qui guttis occultae sapientiae omnibus pleni sunt, et de capite delapsi, ipsi stillant in eis, qui membra ecclesiae sunt, nuntiando futura, revelando arcana mysteria, deferendo Dei mandata prophetis. Sicut legitur in prophetis ab angelis factum ; quemadmodum refert Daniel se a Gabriele visione edoctum. Et Zacharias simili modo, et dixi, inquit, ad angelum qui loquebatur mihi : qui sunt isti equi nigri, albi, rubei, et vari ? Et sicut ab angelo edocetur Manue de nativitate Samson. Et multa similia invenies. De quo rore clamat Isaias propheta : ros, ait, qui abs te est, sanitas est illis. Et secundum hebraea exemplaria, quia ros lucis, ros tuus. In quibus evidenter docuit, rorem istum sapientiae, lucem animarum et sanitatem probari ; quod est sapientiae, et veritatis doctrina, sine quibus anima infirma et caeca est. Scilicet ros, qui a bono capite Deo patre, assumpto homine in Christo, et de Christo super ecclesiam descendere comprobatur. Et sicut ros cum sit singulare nomen multis creaturis herbarum vel frugibus nutrimenta impertit ; ita et sapientia, qua sub roris vocabulo caput suum plenum esse Christus testatur, multarum charismatum donum impertit.

Ecce quo rore caput suum plenum asserit Christus. De rore super se quiddam stillare precatur beatus David dicendo : intellectum da mihi, et vivam ; bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, quia in mandatis tuis credidi. Quam doctrinam sapientiae per angelos mi-

Digitized by Google

nistratam his qui hereditatem salutis capiunt, Paulus apostolus probat. Quos cincinnos praesenti nominat loco; quos guttis noctium, idest occultorum mysteriorum doctrina, et eorum salutis refrigerio qui ignorantiae nocte sunt circumdati, plenos esse testatur. Stat igitur Dominus ante ostium animae dormientis; eius quippe, quae cum fuerit immaculata, superbia pessulo clausit Deo ingressum. Et occultis commonitionibus pulsat; cuius fores cum viderit, ut civitatem ab hostibus daemonibus obsideri, clamat sibi aperiri priusquam daemones invadant dormientem, dicendo: *aperi mihi, soror mea, amica mea, immaculata mea*, ne forte his tantis, inquit, gloriosis honoribus priveris; propter te enim has in nocte excubias facio, ut tu non timeas ab occulto timore nocturno.

Inducitur ergo sub vocabulo sororis eius animae persona, quae postea cum adepta fuerit omne sapientiae vel scientiae donum, et excoluerit sensus hic hortum, et omnibus cum retro dictis pomis floribusque decoraverit, et invitatus ibidem venerit sermo Dei, et degustaverit fructum pomorum suorum, quos plantavit in mente eius, et per haec elationis contagionem contraxerit, per quam in iudicium incidat diaboli, quae opus habeat flagellis emendari, quibus Paulus emendat Hymenaeum, et Alexandrum, ut discant non blasphemare. Quae cum multis divitiis spiritalibus praepotens, et in sapientiae thesauris locuples videretur, sicut ait propheta, divitiae animae, sive salutis, sapientia eius, consilii magistri Pauli oblita, caritatis se tunica exuit, quam ille loricam nominavit; et pedes, quos ille spem beatitudinis per servitium debitum Deo contegi iussit, quasi horridum ministerium, quod dominus Christus suo humilitatis exem-

Digitized by Google

plo praebuit, desidiae aqua delavit. Ideo vocata, ut reparando se bona consuetudine aperiat verbo Dei pulsanti cor eius, excusando respondit: *expoliavi me tunica mea quomodo induar ea? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* v. 3.

Docemur ergo per hanc malam consuetudinem difficile posse mutari, et vix aliquando cum magno labore; et semel expoliatam animam caritatis tunica, tarde satis reindui. Quae sola utique cooperit omnes animae nuditates, idest multitudinem peccatorum, ut ait apostolus: caritas cooperit multitudinem peccatorum; et semel revocatos pedes a via angusta evangelica per deliciarum consuetudinem, et desidiae aqua delotos, cum magna contritione cordis posse in reparationem, evangelii regula revocari ac dirigi, et spe beatitudinis (*a*) nudatos recontegi. Sicut ergo delicatam puellam lotis pedibus, expoliatam tunica, requiescentem in lectulo nocturno silentio pigeat exurgere, et per lutosam incedere viam: ita exosa facta ostendit huiusmodi anima, evangelica et apostolorum exempla. Quicumque enim rectae fidei doctrinam, quae unum Deum, unam fidem, unum baptismum tenet, credit, et confitetur, et humilitatis exemplum Christi sequitur, quod in pedum lavatione apostolis tradidit, hic consors et comparticeps regis imperatorisque Christi effectus est. Huius quasi imperatoris vermiculato auro gemmisque tegimine contecti sunt pedes; qui etiam arduam non sentiant discurrendo evangelicam viam, qualis erat ille qui dicebat de Deo: qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuit me.

Haec autem anima, cuius hic inducitur vox, oblita nobilitatem superius dictam, quae per unum baptismum

(*a*) Summ. male *consuetudinis*.

Digitized by Google

traditur, oblita Domini traditam sibi veram doctrinam, suam statuere elationis supercilio gestiens, oblita Christi praeceptum apostolis traditum, ut qui semel lotus est, iam lavari necesse ultra non habeat; et dum se mundiorem opinatur prae ceteris, nihil ei mundum videtur, nihil immaculatum, nihil sanctum, nec ipsa quae a fidelibus contraduntur Christi baptismata; ita ut neget alterius baptismate peccatorum sordes posse mundari, nisi a se crudeliter (*a*) aliud fuerit irrogatum; quae cum se iactitat velut male lotum relavare secundo, nigriores carbonibus mortuis efficit animas miserorum; sociata criminibus illius, quae circumcisionem carnis sacratissimo praeponit baptismati, cuius plebis ostium mentis quotidie pulsare Christus per orthodoxos et fideles probatur. Sed illa haec, quae praesens versiculus declarat, respondit: expoliavi me tunica mea, quomodo induar ea? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

Caritatis utique tunica, unitatem fidei omittendo, se expoliavit, quae procul dubio magisterio beati Pauli impenetrabilis animae lorica docetur. Pedibus animae corpus mihi significari videtur, quod animam portat, quod solum ab haereticis absque anima rebaptizando lavatur. Nam cum coeperis haeretico persuadere ut ad caritatem Dei, ad unitatem ecclesiae revertatur, respondit se huiusmodi societatibus inquinari, sicut nunc ait: lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Certum est enim, ut quisquis religionem, quam non colit, eius societati coniunctus se inquinari causetur. Omnis autem qui credit non manu hominis, sed invocatione individuae Trinitatis maculas peccatorum lavari, non dicit, extollendo se de sanctitatis munditia, Deo pulsanti ore doctoris,

(*a*) An *creduliter*? De meis emendationibus dicam alibi.

Digitized by Google

lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Sed respondet: multum lava me ab iniustitia mea, et a peccato meo munda me; lavabis me, et super nivem dealbabor. Facit enim diabolus eum, quem persuadendo expoliaverit caritate, de bono malum, de dulci amarum, de mundo coinquinatum, ut infelicem animam in sua perversitate teneat semper captivam; cui clemens Dominus cum viderit imminere interitum, non ad eius duritiam vel stultitiam, sed ad suam immobilem bonitatem intendens, invitam (*a*) etiam nolentemque cam signorum virtutibus, occultis compunctionibus, ore doctorum, attractam de lethargico erroris excitat somno, sicut sequens ipsius animae indicat vox: *dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi ut aperirem dilecto meo. Manus meae stillaverunt myrrham, digiti pleni myrrha probatissima. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat, atque transierat.* v. 4. v. 5. v. 6.

Cum utique per (*b*) supradicta in quocumque errore posita anima pulsanti non aperuerit Christo, per foramen mittit manum suam castigando contumacem (*c*), et quasi in lecto contactae facinorum consuetudine recubanti, iuxta ventrem id est mentis vicinia, appraehensum attrahit vestimentum; ut quae voce deprecantis desuper se abicere tegimen consuetudinis contempnebat, invita abicere cogeretur ad tactum eius quo pro manu dilectus utitur. Ad vindictam attrahit flagellando per damna rerum, per famem, per vastitatem hostilem, per orbitatem propinquorum, per calumniarum ergastula, per variarum infirmitatum tormenta. Nam quod

(*a*) Summ. vitiose *invitat*. (*b*) Deest *per* in summ. (*c*) Summ. inepte *per famem contumacem*.

Digitized by Google

ait per foramen, hoc est ut sentiat quidem, sed non clare videat manum, quae corripit contemptorem; ut anima quae Christo contempnit aperire mentis ingressum, tremendam eius per foramen praedictam sentiat manum; de qua Deo dicebat propheta: quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua. Intremescit (a) enim venter animae, idest sensus, quando pro peccatis suis iunctus eis fuerit acerrimus flagellator. Sicut contigit plebi Israel post mortem Iesu. Nave, cuius ostium cordis, sermo Dei ore prophetarum pulsabat; ut de malae consuetudinis surgeret lecto, et emendando aperiret ei; quae cum supra dictis sermonibus excusaret contempnendo, misit manum per foramen, tradendo eam domesticis et amarissimis hostibus sibi subiectis.

Aliquando iuste vivendo, et venter eius, idest sensus, intremuit, dum se captivam aspicit captivorum; surrexit aperire dilecto suo clamando ad eum cum tribularetur. Manus eius, sicut ait, stillaverunt myrrham probatissimam; hoc est opera eius, quae pro manibus accipiuntur, stillaverunt per amaros gemitus compunctionis mortificationem peccati; de qua digiti confessionis culparum procedunt, qui pleni fiunt lacrimarum, probatissimae myrrhae ingerendo pulverem capiti suo, clamando ad Dominum liberatorem, fundendo lacrimas lugubri corde, proiciendo de finibus suis idolorum figmenta, sicut probat iudicum liber. Pessulum ostii superbi arbitrii sui aperuit, recordando Dei patrum suorum, qui liberavit eam in patribus de manibus Pharaonis, qui divisit mare, qui convertit petram in stagnum aquae, qui siccavit Iordanem, qui fecit mirabilia, quae in iudicum libro continentur, dicendo: ubi est Deus,

(a) Summ. mendose *intumescit*.

Digitized by Google

qui liberavit patres nostros de terra Aegypti, qui fecit mirabilia magna cum Israël? At ille declinaverat atque transierat, non interficiendo, neque subdendo hostes eius, quos propter eius disciplinam servabat, sicut fit de contrariis (*a*) potestatibus, quae ad animarum contumacium impugnationem reservantur, quibus traduntur rebelles a Paulo apostolo, ut disciplinam accipiant, ne blasphement.

Anima mea liquefacta est, ait, ut locutus est. Dum loquitur, per angelum videlicet, de mente dicens: quid clamatis ad me? Ite clamate ad deos vestros, quibus sacrificatis, et ipsi vos liberent, quia me obliti estis, et mirabilia quae feci cum patribus vestris. Quibus ignitis loquutionibus anima eius ab omni rigore criminum, tumidaequae superbiae, velut cera aliquantulum suscipiendo praecepta liquata est; et quae diabolo velut glaciei adhaerendo in deliciis posita nullum in se boni operis lumen gerebat, nunc attacta castigationum flagellis, et minarum ignitis loquutionibus splendorem emendationis reddere demonstratur.

Nam quod ait in sequenti versiculo: *quaesivi ēm, et non inveni; vocavi, et non respondit mihi*; non perseverando ex fide quaerens, nec in toto corde exquirendo non inveniet eum, sicut illi de quibus dicit idem Salomon: facile invenitur ab his, qui non temptant eum. Vocavit, et non respondit ei; quia non, obliviscendo alios falsos deos, unum et verum Deum vocavit. Ideo non respondit ei. Non enim fecit, quod ille qui dixit: clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine. Dum ergo multi quaeruntur ab anima, nullus liberator Deus (*b*) invenitur; et cum multitudo invocatur, nullus exaudit. Haec igitur omnia, quae illi populo in

(*a*) Summ. *aëris.* (*b*) Summ. *adeo.*

Digitized by Google

figuram secundum carnem contingebant peccanti, nobis nunc agnita veritate, quod durius est, et secundum carnem plerumque, et secundum animam contingere approbantur; qui non secundum carnem, sed secundum spiritum iussi vivere sumus. Illi enim daemoniis immolando tradebantur ferocissimis hostibus castigandi; nos vero faciendo contra Christi praecepta, in cordibus nostris idola fabricamus, ubi non Deus, sed diabolus *idest spiritus* perversitatis ingredi delectetur. Avaritiam videlicet diligendo, mendacium, turpem sermonem, blasphemiam ex ore proferendo, perversum iudicium iudicando, viduam pupillum peregrinum et pauperes expoliando, odio frustra proximos persequendo, signa et auguria observando, calumnias diligendo, impie de coaeterna Trinitate sentiendo; declinat a nobis dominus Christus clamantibus in tribulatione, atque pertransit: quo declinante tradimur non solum carnalibus hostibus, sed etiam nequissimis spiritibus castigandi: et qui in deliciis positi, pulsando per retrodicta detrectavimus aperire ianuam mentis, verberati iam prolongantem in tribulationibus positi quaerimus eum, et invocamus. Sed nisi digne plagis castigatis non dignatur nec aurem nec praesentiam commodare, sed de longe loquitur iaculando ignea inproperii, ut dictum est, verba quae liquefaciant animam conturbatione gehennae. Sicut ait per hunc idem Salomonem: clamabatis, inquit, et non audiebatis; extendebam verba mea, et non intendebatis. Itaque et ego in perditione vestra ridebo.

Et per Isaiam similiter: numquid non est in me virtus ad liberandum, ait Dominus? Aut infirma est manus mea, ut salvare non possim? Sed veni, et non erat vir; vocavi, et non fuit qui audiret. Item per Hiere-

Digitized by Google

miam : clamavi, ait, rogans, sustinens tota die. Sed sicut mulier contempnit amatorem suum, sic plebs mea contempsit iudicium meum. Propter quam contumaciam respondetur ei in alio loco per Isaiam prophetam : cum veneritis ante conspectum meum offerentes munera, non suscipiam de manibus vestris ; et cum clamaveritis multiplicantes preces auribus meis, avertam faciem meam et non exaudiam vos, nisi in sacco et cinere paenitentes revertamini ad me. Haec est namque terribilis loquutio, quae liquefacit animam contempnentem Dei praecepta ; animam non in Deo, sed in propriis viribus confidentem ; non in Dei eruditione, sed in propria sapientia gloriantem, repudiantem verum Redemptorem mundi in patris nomine venientem, et alium deceptorem antichristum suscipientem, et serpentem egredientem de antro incredulitatis ad quaerendum Christum, quem inportunum clamantem propria voce testimoniis prophetarum, clamantem virtutibus sui cordis, sustinuit pulsatorem. Haec ergo ad omnem animam errantem et post culpam paenitentem a Salvatoris adventu usque in finem seculi licet pertineant verba, tamen ad plebem iudaicam convenire quam maxime opinamur, in ea dumtaxat multitudine quae incredula extiterat Christo, et nunc paenitendo, alieno suffragio ad Christum reverti desiderat. Quae utique lacrimabiliter demonstrat, quanta et qualia perpessa sit mala, eo quod mox pulsanti aperire contempsit, ut ait : quaesivi et non inveni illum vocavi et non respondit mihi.

Invenerunt me custodes qui circuunt * *civitatem* : *percusserunt me et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Quisquis igitur toto corde cre- v. 7. * ita cod.

Digitized by Google

dendo quaerit Christum, qui est via ducens ad Deum patrem, invenit Deum. Et huic invocanti Christum in tribulatione posito, Deus exaudiendo respondit. Plebs namque sive iudaica, sive illa quae agnita veritate redemptioneque sacrosancti baptismatis nunc incredula Christo est, quaerit eum expectando venturum, sed non suo tempore quaerit. Vocat eum, sed non quando prope est. Nam quando dicitur ei per Isaiam prophetam: quaerite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est; et quomodo possit inveniri ostendit: derelinquat, ait, impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas, et convertatur et redeat ad Dominum, quoniam multum est ad ignoscendum, et miserebitur ei.

Abscondit se ergo et prolongat offensus dominus Christus animae neglegenti, quae pulsanti per saepe dicta aperire contempsit. Quo prolongante, latrones approximant animarum, qui ubi viderint desertam a Christo animam, fortes efficiuntur; sicut homicida cum absconso die tenebras viderit; et quemadmodum insidiator armatum cernit remansisse inermem; ita et daemones invalescunt in animam, a cuius adiutorio prolongatur Christi protectio. Qui inter omnes nequitias suas, magno studio ut hostes die noctuque circumientes pervigiles insidiis suis custodiunt rectae fidei civitatem, quae apostolicis muris ambitur. Unde si quempiam foris repererint (a), percutiunt, vulnerant, atque expoliant, non credendo veram carnem in Christo quae ligno affixa est, unde verus sanguis ictu lanceae fluxit; et verum Deum, qui veram animam quam gestabat, quando voluit posuit, quando voluit positam sumpsit. De qua civitate praecinit propheta Isaias, immo digito demonstravit di-

(a) Summ. *quempiam receperint.*

Digitized by Google

cendo : ecce urbs fortitudinis nostrae salvator est, ponitur in ea murus et antemurale. In quam civitatem nos suo consilio post daemonum insectationem beatus Paulus introducit dicendo : quomodo cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi esse. In qua nos fundari, et circumdari, exhortando persuadet archispostolus Petrus : coaedificamini, inquit, in ipso summo angulari lapide Christo.

De qua civitate, ut dictum est, quisquis errando a fide, declinando a mandatis Dei, mox ut egressus fuerit, statim a praedictis custodibus, idest insidiatoribus, percutitur telo (*a*) haereticae persuasionis, viperea lingua vulneratur, retinendo ipsum venenosum dogma in corde : expoliatur vero, perdito sacrosancti baptismatis pallio, dum polluentem et execrabilem secundum deceptam susceperit animam. Et hoc ideo evenire monstratur, quia rectam fidem, aut foris egressa de civitate praedicta, male tenendo, haereticorum ore seducta; aut omnino minime credendo, non est ingressa, et daemonum praedae patuit. Per quod evidenter docemur, ut quicumque desiderat invenire Deum in assumpto homine de Maria virgine, cum apostolis quaerat eum credendo. Et quisquis cupit audire vocem eius, cum beato Philippo apostolo vocet eum, et in Christo respondebit ei, qui culpatur cur tanto tempore eum audisset loquentem in Christo, et non agnoverit (*b*) loquelam eius. Nam si quis hos muros egressus fuerit, haec procul dubio patietur quae praesens indicat sermo ; percutitur, vulneratur, expoliatur baptismi sacramento. In quod periculum tres intelleguntur devenire personae, illius videlicet quae in superbia elata non ponendo Deum adiutorem suum,

(*a*) Summ. ridicule *titulo*. (*b*) Cod. *agnoscerit*.

Digitized by Google

sed sperando in multitudine divitiarum suarum, sive sapientiae mundanae, seu praesentium rerum, verbo Dei pulsanti renuit aperire ingressum. Alteram opinamur intellegi in haereticorum dogma dilapsam. Tertiam vero huius, quae nunc extra refugium salutare prolongata est, iudaicae plebis. Ad quam vel ad eius consimiles apostolus dicit: testis mihi est Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Christi esse.

Harum itaque personarum illius quae ad paenitentiam revertitur vox ista lamentationis intellegenda est dicentis: percusserunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Quae licet daemonum saxis percussa, licet vulnerata eorum sagittis, licet expoliata praedicto pallio sacramenti, tamen ad creatoris sui servitium, ad beneficia Redemptoris, ad nobilitatem generis per paenitentiam repedare festinat, et in tantum se indignam et degenerem credit effectam, ut non audeat iam pro se fundere preces, sed filiabus Hierusalem supplicat lamentando, idest sanctis animabus, quae possunt suis precibus ad pristinum revocare animam paenitentem. Quae etiam tantam peccatorum molem considerans, ut dubia sit an et ipsae possint audire, ne forte et ipsis quaerentibus abscondatur dilectus
v. 8. offensus, ait: *adiuro vos, filiae Hierusalem, ut si inveneritis dilectum meum, annuntietis ei quia amore langueo.*

Precatur ergo, ut dictum est, ut quem ipsa iam illisa, iam amissis viribus, iam confusionibus plena invenire minime confidit, filias Hierusalem lacrimabili praece coniurat, ut ipsae dignentur intercessionibus suis lamentationem eius dilecti auribus intimare, quatinus errantem revocet, consoletur percussam, vulneratam (*a*)

(*a*) Summ. tantum *vulneratam resanet.*

Digitized by Google

suo vulnere sanet, expoliatam sua vestium nuditate, secundum Isaiam prophetam amoris stimulo languentem ad sua dulcissima oscula propitiatus invitet. Filias autem Hierusalem caelestes virtutes omniumque sanctorum choros, ut saepe dictum est, intellegimus. Quae illius caelestis Hierusalem filiae indicantur, quae docentur per haec exemplo beati Moysi, paenitentibus sua intercessione opem suffragii ferre. In cuius intercessione cognoscitur quantum valeat sanctarum intercessio animarum, qui solus tot milia peccatorum prece sua a reatu criminis liberavit. In quo versiculo docemur, si quando anima nostra similia incurrerit, sanctorum pedibus provoluti supplicare, ut eorum precibus indulta venia, ad Christi amicitiam revocemur. Sicut haec persona cuius vox inducitur fecisse docetur. Quae tanta mole criminum se oneratam confitetur, ut etiam filias Hierusalem dubitet, suum posse invenire dilectum. Metuit enim ne forte et ipsis abscondatur nimis offensus dicendo: *si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei quia amore langueo.*

Posuit scilicet similitudinem amoris carnalis, de quo turpes turpia diligendo, periclitantur, ut ostendat qua mensura debeat diligi Christus, qui animam nostram post innumera mala quae ei irrogavimus dilinquendo, quasi nutrix infantem suo aperto sinu suscipit venientem, et velut dilectam coniugem de longinqua patria desideratam amplectitur revertentem. Illud vero quod interrogant Hierusalem filiae, qualis sit quem inquiri precatur, fides eius discutitur, quomodo eum verum Deum verumque hominem suae credat redemptorem salutis. Quia nisi utrumque fuerit credendo confessa, cum invenire non potest, sicut ipse in evangelio dicit: qui me confessus

Digitized by Google

fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo qui in caelis est, idest verum hominem verum Deum: et qui me negaverit, negabo eum. Ideo
v. 9. interrogant filiae Ierusalem deprecantem dicendo: *qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?*

Interrogant filiae Hierusalem in persona apostolorum vel sacerdotum, qui eorum vicarii derelicti sunt in hoc mundo paenitentem animam, qualis et cuius potentiae, vel cuius pulchritudinis sit hic qui dilectus fuerat ante culpam, et ex dilecto offensus factus est post peccatum; ut dum certa dederit eius pulchritudinis signa, et suavitatem loquelae rectam eius fidem confitendo, et suum pronuntiando errorem fidei, iam filiae Hierusalem supplicando quaerant dilectum, quem confitendo secundum symboli fidem dictavit, ut et ipsa eum eius formam recolet exponendo, amplius in eius desiderio accendatur, et doleat se tanto ac tali amatore fraudatam. Quod autem ait, adiuro vos filiae Hierusalem, et non declarat per quod adiurentur, subauditur per quicquid in tota anima, et in tota virtute, et in toto diligunt corde, eas esse adiuratas. Et ideo quasi conturbatae vim sustinentes, respondent: dic, inquiunt, qualis est quem quaeris, et invenire desideras, quia sic terribiliter adiurasti nos; per eum scilicet quo carius nihil habemus, cui Abraham nec dulce unicum pignus praeposuit, qui in decalogo in toto corde, in tota anima, et in tota virtute diligi iussus est.

Ad haec illa non solum potentiam, pulchritudinem, vel proceritatem dilecti, sed etiam omnia liniamenta
v. 10. membrorum eius describit dicendo: *dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex milibus.* Candidus quia

Digitized by Google

lux mundi est, quia sol iustitiae est illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, secundum Iohannem evangelistam, vel praeconia prophetarum. Rubicundus, quia carneo indumento de Maria virgine abstracto vestitus, ambulaturus erat in terris, miraculum etiam angelis praebiturus, levando in caelos, interrogantibus ore Isaiae prophetae: quare rubicundum est indumentum tuum? Quod maxime ictu lanceae rubricandum portendebatur. Electus vero ex milibus, eo quod a lapsu primi hominis usque ad virginis partum, unus ex milibus inventus de stirpe Adae, qui electus a Deo mitteretur ad bellum contra hostem diabolum, ne iustitia turbaretur, per quem unum hominem redimerentur milia milium filiorum Adam. De quo praedixit David: frater non redimeret, redimeret homo? In cuius electionem nulla etiam pars membrorum laude careret, nec alicuius sensus motusque obnoxii tenerentur peccato; sed diversa membra diversis actionibus sanctis, magnis laudibus, variisque virtutibus splendescunt, qui pro immensa clementia, quicquid validum, quicquid pulchrum, quicquid pretiosum inter spolia, quae de manu tyranni diaboli tulit, idest credentium multitudinem, sive in apostolis se in omni sanctorum vel martyrum turba totum glorificandum ad necem inimici suo immaculato corpori sociavit; quos pro diversis charismatum donis Spiritus sancti, diversis membris, sequentibus versiculis aptasse monstratur cum ait: *caput eius aurum optimum*; *comae eius sicut elatae palmarum nigrae quasi corvi.* v. 11.

In capite fulgorem deitatis signavit, quo pretiosius animae nihil debeat esse, eo quod caput Christi assumpti hominis, secundum apostolum Paulum, Deus esse

Digitized by Google

probatur, et quoniam amandus sit prae omnibus quae excogitari possunt solus Deus in toto corde, in tota anima, et in tota virtute, sicut caput prae ceteris membris diligitur; et velut aurum obrizum a cupidis regibus amari probatur, qui pro eius amore mortibus se et acerrimis bellis committere non pertimescunt, quod quantumcumque in subtilitatis laminam fuerit productum, splendidius redditur, et ductilitate sua semper crescit in maius, et nec augmentum nec detrimentum ponderis sentit; ita et deitatis potentia quanto amplius de eius volueris scrutari maiestate, tanto immensius pelagus dilatatur; et quemadmodum auri materia quocumque duxeris sua mollitia sequitur, ita maiestatis immutabilis bonitas, quantumcumque ab impiis innumerabilibus irritetur (*a*) peccatis, a sua non frangitur irascendo bonitate; sed patientiae suae longanimitate usque ad diem iudicii conversionem eorum potius quam poenam expectat. Caput ergo Domini nostri aurum optimum dixit, eo quod Deus pater caput Christi, lux dicitur, vel splendor; sive quod splendor credentibus in se fulgorem aeternae vitae donabit, ipso dicente in evangelio: iusti fulgebunt sicut sol in regno patris mei.

Comae eius sicut elatae palmarum. In comis scilicet virtutes caelorum throni, dominationesque monstrantur; quia ut retro dictum est, sicut caput decorum efficiunt comae, ita praedictae virtutes, ornamentum sunt terribilitatis et potentiae *ac* maiestatis. Elatae vero sicut palmarum comae quod dixit, docuit praedicta ministeria nunquam inclinari a sua potentia suoque officio, sed semper sublimia permanere, sicut palmarum comae semper viroris virtute tendentes in sublime elatae sunt,

(*a*) Summ. male *irridetur*.

Digitized by Google

et numquam marcoris infirmitate mutantur. Et sicut caput continere et portare comas probatur, ita et Deus qui caput est omnium, secundum apostolum, omnia portare verbo virtutis suae docetur. Nigras autem quasi corvi dicendo, latibulum secretorum mysteriorum, et magnis (*a*) obscuritatibus angelorum ministeria obtecta, per quos iusta exercentur iudicia demonstravit, ut ait propheta David : nubes et caligo in circuitu eius ; et posuit tenebras latibulum suum ; et iudicia Dei abyssus multa.

Nigrescente ergo mysterio legis divinae his qui oculos oordis caecos habent, nec vident per angelorum ministeria, honorare amicos Dei, et cruciare inimicos. Nigrae sunt comae eius quasi corvi, sicut de Aegyptiis scriptura testatur: misit in eos, inquit, iram indignationis suae, immissionem per angelos malos. Non quia mali natura sint, qui Dei implent voluntatem, sed quod illis mali et tenebrosi videntur, qui digni sunt poena. Unum enim atque idem ministerium angelorum impleri cognoscitur in eis qui vindicantur, et in eis, qui exsolvunt vindictam. Illis, qui vindictam consequuntur per angelos, comae palmarum sunt. Illis vero, in quibus vindicatur, propter terribilitatem poenarum, nigrae sunt quasi corvi. Sic factum in Aegypto, exodi lectio refert ; dum Aegyptiis tenebrarum planctu in primogenitorum percussione vel in singulis plagis nigresceret dies ; filiis Israël elatarum palmarum vice candescens, gaudia resonabat; secundum quod ait Sophonias propheta, diem iudicii iustis nimio candore fulgere, impiis autem magnis tenebris nigrescere

(*a*) Summ. *magis*.

Digitized by Google

dicendo: ut quid, impii, spectare diem Domini? Dies enim tubae, et ululatus, dies tribulationis, et miseriae, dies nebulae, et caliginis, dies turbinis, et tenebrarum dies illa.

v. 12. *Oculi eius sicut columbae super rivos aquarum, quae lotae sunt lacte, et resident iuxta fluenta plenissima.*

Oculi totius corporis duces sunt, sine quibus omnis pulchritudo corporis obscuratur, secundum ipsius domini nostri Christi sententiam dicentis: lucerna corporis tui est oculus tuus. Quibus inter omnia membra, nihil in corpore carius. Quos congrue opinor orthodoxos divinae legis soli Deo adhaerentes ad scrutanda arcana testimonia eius viros intellegi, beato concurrentes Iohanni evangelistae, qui sedulo studio, ea quae aliis sanctis clausa a saeculis fuerant, prior de Christi pectore animarum lumen attractum ostendit dicendo: in principio erat verbum, et verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et erat lux vera illuminans omnem hominem venientem in mundum, et omnia per ipsum facta sunt.

Hi ergo tales viri, exponendo legem divinam recte docendo, ostendunt simplicioribus et minus intellegentibus animabus imminere occultas et subreptivas insidias daemonum, et semper intendentes prophetarum, patriarcharum, vel apostolorum dicta; qui rivuli, vel flumina aut fontes intelleguntur, per quorum dicta volitantes, perveniunt ad plenissima evangeliorum fluenta; ubi meditando residentes, a tergo hostis venientis ante se proximantem umbram acumine cordis intendunt. Sicut naturae columbarum a phisiologis esse narrantur, quae bibentes in aqua, ac si in speculo ante se de longe vident post tergum adversarium

Digitized by Google

venientem accipitrem ; ita et hi qui non divitiis , non honoribus saeculi , non desideriis illecebrarum rerum insident ; sed mente et corpore super rivulos aquarum , qui sunt libri patriarcharum et prophetarum iugiter volitant meditando ; quousque de altitudine sensuum rivulorum arcana iuxta fluenta plenissima evangeliorum intellegendo , perveniant ad residendum iuxta aquae fluenta, ab omni peccati nigredine , longa purgatione omnium vitiorum, loti lacte doctrinae caelestis, iugiter residendo , accipitris diaboli de longe post se venientis ante se umbram per cogitationes sinistras prospiciunt. Quem cum per umbram de longe praeviderint venientem , de terrenis actibus sollicita mente ad astra dirigunt suae voluntatis alas. Totus enim in caelo est , qui nihil desiderat possidere in terra ; nec dignatur sedem collocare in terris , et mortalibus magnus videri. Qui in tam glorioso capite collocatus oculus meruit esse , et in candorem iustitiae, in quo creatus est, per lavacrum baptismatis semel reductus; nunquam ulterius iam vitiorum (*a*) sordibus infuscatur, nec doctrinae Christi in se per eius humilitatis exempla collatae , vel effuso pro se sanguini existit ingratus. Nam sicut ex sanguine lac effectum ubera replet , parvulis alimonia ministrando, ita sacratissimus sanguis Christi in animarum salutem conversus , et vitam tribuit sempiternam , et angelorum splendorem candidissimum refert animabus , quae societatem Spiritus sancti promeritae , unus cum Deo spiritus efficiuntur , sicut ille qui eum in specie columbae super se venientem in Iordane suscepit.

Genae illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis. In singulis igitur laudibus membrorum dilecti v. 13.

(*a*) Summ. mendose *ambitionum.*

Digitized by Google

Christi, singulae charismatum donationes monstrantur; quatinus non doleat se unusquisque omnes minime possidere, dummodo unam quamlibet gratiam possidendo, in corpore Christi membrum esse mereatur; ne cupidus plures sectando, unam quam potuit perfecte possidere amittat. In genarum ergo pulchritudine intactus rutilat sanguis, qui conscientiae intrinsecus creatori integritatem servando, et foris hominibus pingendo exemplo, faciem Christi decorat. Multum enim conferunt ad Christi decorem membra, quae in se fidei et pudicitiae integritatem studiose conservant; quae simul cum his veritatis, bonitatis, mansuetudinis, patientiae, tranquillitatis, benignitatis, suavissimi odoris inviolata pigmenta intra vasculum cordis sui illaesa continent. Hae sunt procul dubio genae speciosae, quae areolis aromatum a pigmentariis apostolicis consitis comparantur. Haec enim omnia ita in unum Deum credendo servata, areolam aromatum efficiunt conservantem. In quo sit delectatio multitudinis pacis, sicut ex multis pigmentis suavissimi odoris redactis in pulverem, uno vasculo colliguntur miscenda. Qui similis cribro est cum quo frumenta in area a paleis expurgantur. Consitae, idest commixtae a pigmentariis quod ait, apostolorum labore, et arte doctrinae intellegi voluit ad hanc gloriam huiusmodi animas sublimatas, ut faciem Christi dignae sint decorare, et delectabilem odorem suo reddere creatori.

Labia eius, lilia distillantia myrrham primam. In labiis illi videntur intellegi qui vices Christi agunt in terris, quibus ligandi et solvendi tradita est potestas; qui ore Christi prolata iussione, iuste peccantes alligant condempnando, et iuste paenitentes reconciliando, con-

Digitized by Google

dempnationis vinculo solvunt ; qui sine personarum acceptione omnifaria veritate subnixum proferunt verbum. Qui praeter lilii candorem iustitiae, et casta eloquia, nihil in conversatione demonstrant, nihil praeter sanam doctrinam, et ea quae ad Dei respiciunt laudem, ex suo proferunt ore; qui sapientibus, quasi liliorum odor, indefessam delectationem, et animae medicinam ministrant, insipientibus autem velut myrrha amara sentiuntur. Sed cum eius suco ab insipientiae fuerint infirmitate curati, laudant admirantes et ipsi tantae medicinae de liliis myrrham manasse, quae viventia corpora doloribus intrinsecus sanat, et mortua a corruptione vermium illaesa conservat. Ita et memorata doctrina, et in praesenti saeculo ab illecebrosis languoribus obsita curat, separat, et prolongat, sanitatem animae conferendo, et in futuro iudicio a verme poenarum conservat.

Manus eius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis. Manus Christi illos opinor intellegi, quibus potestas eiciendorum spirituum immundorum indulta est. Qui fulgorem purae conscientiae mentis Deo (*a*), et in conversatione hominibus, torno praecepti tam limpidati resplendent, ut nullus in eis pallor sinistrae conscientiae resideat, qui diabolo in pervasis corporibus tribuat potestatem. In manibus enim opera virtutum, quae diaboli vires enervat intellegitur, per quam elisus dimittit animas vel corpora, super quae ut leo praedam incubans obtinebat. Per quos *fit* habitaculum Spiritui sancto, in quibus corporibus sibi domicilium fecerat inimicus. Per quos quasi per manus sanitates diversarum infirmitatum Christus operari probatur. Nam sicut inimicus sua membra fecerat impios mundana persuadendo, ita et Christus sua v. 14.

(*a*) In summ. deest *Deo*.

Digitized by Google

membra fecit iustos veritatem docendo ; pro quibus petit patrem dicendo : volo ut sicut ego et tu unum sumus , ita et isti in nobis unum sint ; quos pro diversis virtutibus vel possibilitatibus diversis, sponsae eius comparat membris. Credo simul et illos intellegi manus , qui longanimitatis robore semper consistunt , et pervigili cura de saxosis mentibus gemmeas animas per momenta excludunt. Quas velut hyacinthinas gemmas per eos plenis manibus Christus cotidie cum magno gaudio offert patri. Qualis erat illa manus quae dicebat de aliis manibus: amplius illis, inquit, omnibus laboravi. Qui ut ostenderet sicut manus sine corpore , ita nihil posse fieri bonum sine Christo : non ego solus ait , sed gratia Dei mecum.

Haec ergo talis anima digna est quadriformi laude extolli , ut et manus Christi intellegatur , et aurea manus , et torno examinationis praecepti decorata manus, et plena pretiosis hyacinthinis gemmis. Manus , quae «semper mortificationem Christi (*a*)» circumferendo, plena est gemmis; et suo sermone, et vitae exemplo lucrifactas animas de lapideis nationum montibus praeparat Christo , offerendas patri Deo ad caelorum ornatum , eo quod hyacinthus praeparans interpretetur. Hae sunt utique praeparationis gemmae, quibus gloriosae manus plenae laudantur ; quae in corpore positae exhortatione sua praemiserunt ad caelorum thesauros , saepe dictas pretiosissimas gemmas ; et post exitum corporis usque ad diem iudicii, scriptis suis cotidie praeparare non cessant. Nam quomodo eorum qui contra auctorem vitae scripserunt blasphemias , magicarum artium inventores, ante se praemiserunt deceptorum animas , quas gehen-

(*a*) Desunt verba haec mendose in summ.

Digitized by Google

nae pabulum praeparaverunt, et post se cotidie attrahunt praeparatores suis tormentosis scriptis; de quibus ipse Paulus ait: sunt quorumdam hominum peccata praecedentia ad iudicium, quaedam autem subsequuntur; similiter vero et facta bona; ita et eorum opera qui manus Christi intelleguntur, et vivi et mortui, per supradictas animas Deo patri offerendas Christo cotidie praeparare noscuntur.

Venter eius eburneus distinctus sapphiris. Venter conceptaculum escae est, ubi totius corporis substantia congregatur. Ebur ossa sunt pretiosa elephantina paene rationabilis bestiae. Sapphirus gemma regalis est, cuius nomen interpretatur speciosus, sive egregius, in quo illi intelleguntur, qui licet alios docere suo sermone non studeant, cibum tamen animarum Spiritum sanctum vitam conferentem, quem suscipiunt renascendo per sanctam conversationem iugiter intra se pacis silentio clausum conservant, quorum vox est per Isaiam prophetam: a timore tuo Domine in ventrem concepimus spiritum salutis tuae. In quibus ita residere sermo Dei vel Spiritus sanctus delectatur, sicut consules in throno eburneo. In quibus dum secretas animarum divitias reconditas per aenigmata ostendisset, nec martyrii gloriam silentio praeteriit eboris in eis decorem, fortitudinem, et imputribilitatem demonstrando. Ipsi sunt enim pretiosa et imputribilia ossa, quae numquam contrita in favillam oblivionis convertuntur. Sicut de impiorum memoria propheta testatur dicendo, periit memoria eorum cum sonitu, sed illaesa in perpetuum permanent ad bonorum memoriam; de quibus propheta testatur: Dominus custodit omnia ossa eorum, unum eis non conteretur. Qui super omnem gloriam retrodictam distincti,

Digitized by Google

idest picturati gemmis, integritatis sapphiro praedicantur: qualis illa multitudo sacrato numero distincta, beato Iohanni ostensa in monte Sion, cum agno ambulans centum quadraginta et quattuor milia signatorum.

Sicui tamen ipsum libellum recipere placet, quorum opinor cum signo fidei hoc esse maximum ac laudabile signum, ut angelicum signum integritatis, quod detulit nascendo in mundum, intactum reportet egrediendo de mundo; qui inter ceteras sanctimoniales laudes, materia virginitatis, ebore et sapphiro veritatis, constructa in eis speciosa egregiaque sedes Spiritui sancto laudantur dicendo: hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine agni, et cum mulieribus non sunt polluti, virgines permanentes, et in ore eorum non est inventum mendacium, nec dolus. Ecce speciosus venter integritatis veritatis incorruptae, et in martyrii gloria regalibus gemmis distinctus; digni namque qui egregius eburneusque castimoniae gemmis distinctus speciosi formae pro filiis hominum venter intellegantur, qui in se ex omni parte gloriosam ostendunt, veramque imaginem creatoris. De quibus, et procul dubio dicitur, quod ipse commemorat Christus: beati ventres, qui non non genuerunt. A quibus utique nunquam non peregrinatus est sanguis, sed occultus in suis sedibus usque ad corporis finem resedit. Dignae igitur animae quae triformi laude extolli mereantur, quae non ostentationis scientiae studio, sed obstaculum peccato ponendo, thesaurus factae sunt divinorum eloquiorum, venter Christi eburneus, tolerando scilicet pro iustitia durissimas passiones, eburneus venter effectae, et in sapphiris speciosis egregiisque praedictis castimoniae gemmis distinctus.

Digitized by Google

Crura illius columnae marmoreae, quae fundatae v. 15.
sunt super bases aureas. Crura igitur tanti corporis illi mihi videntur intellegi, qui se humiliando tantae efficiuntur fortitudinis, ut omnia membra capitis, totumque corpus ecclesiae subvehant sicut ipsius vox per prophetam praedixit: super quem requiescam, nisi super humilem, vel mansuetum, et quietum, et trementem sermones meos? Qui veram perfectamque philosophiam Christi inconcusse obtinere noscuntur. Qui tempestate daemonum per quamlibet tribulationem non incurvantur, quos a caritate Dei neque fames neque gladius neque ullum periculum separat. Nam sicut crura, si sanissima fuerint, totum pondus corporis portant; ita sapientes gravissimi et vere philosophi viri, sua moderatione patientiae varias ecclesiae impugnationes supportant, et suo exemplo infirmiores etiam titubantes, et in periculis lapsos, inclinatos superbos de praecipitio mortis revocant, et super humilitatis basem stabiliunt et confirmant.

Illa ergo crura laudantur, quae columnarum robur, et marmorum decorem, et illius petrae in se imitationis similitudinem continent, de qua dixit apostolus Paulus filios Israhel in deserto potatos, sicut ait: bibebant de sequenti eos petra, petra autem erat Christus. Quae habent invisceratam fortitudinem patientiae, veritatis, contemptum rerum praesentium, et cetera quae relucebant in Christo, cuius fortitudinem ipse malleus principis mundi miratur interfector Pilatus. Quae tamen columnae, ut nobis a viris antiquissimis et perfectis discendi quae bona sunt aditus panderetur, super bases aureas fundatae laudantur. De quibus basibus opinor esse, Abel, Seth, Enos, Noë, Abraham,

Digitized by Google

Isaac, Iacob, Ioseph, Iob, Heliam, Helisaeum, Danihelem, eorumque consimiles, qui vere per bonum naturae aureae, per humilitatis planitiem, et stabilitatem mentis bases intelleguntur; quae nulla violenta manu de sua quadrata fidei intentione potuerunt moveri, sed perstiterunt in suo vestigio sanctitatis, unum verum Deum colendo, sicut fuerant ab artifice Deo ad exemplum omnium gentium collocatae, ut super earum exemplum etiam praedictae columnae marmoreae fundarentur. Quae ideo aureae, quoniam patientia in eis, quae toto mundo refulsit, laudatur. Ideo aureae quia, sicut aurum de squalido luto, pretiosa materia inter impias nationes emicuisse probantur. Ideo aureae quoniam si quid de istius turbulentis saeculi pallore infuscationeque peccati contraxerant, camino tribulationis decoctum est et colatum. In quarum animarum fide fundati quique fortissimi viri sunt, qui crura speciosi corporis Christi, et columnae fortissimae demonstrantur.

Species eius ut libani, electus ut cedri. Libanum iam saepe diximus odoris incensum, altaris limpidissimum thus. In quo macula nulla est interpretari, quod a summo pontifice super hostiam pro peccato oblatam, et holocaustum idest totum combustum, quod peculiare Deo erat saarificium iubebatur imponi. Quae duo hostiae velut peculiare sacrificium intelleguntur Deo. De ea igitur quae pro peccato offerebatur, summis pontificibus masculini sexus edendi copia est permissa. De illa vero, quae holocaustum appellatur, nulli contingere indulgetur. Quae utique congrue in specie Verbi carnefacti referenda intelleguntur. Alterum quod pro peccatis humanae naturae a principibus sacerdotum super altare crucis, licet nescientibus, ut libanus odor suavitatis im-

Digitized by Google

ponitur. Quae hostiae sacerdotibus per sacrum lavacrum effectis, qui nihil in se femineae conversationis, sed totum masculinum constrictumque continent in mente, iubentur edere in eius corporis sacramento. Alterum vero, quod singularis hostia suavitatis Deo patri effectum est.

Est ergo species sicut libani, nihil de contagione peccati, conversando inter impios et peccatores, contrahendo. Cuius opera nihil quod caelorum virtutibus displiceret, sed omnis actus eius sacrificium omnipotenti Deo patri acceptabile portendebat. Sicut species libani quae thus interpretatur soli Deo, ut saepe dictum est, in odorem suavitatis incensum ponebatur, de qua opera praedicit propheta: speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Et alius propheta sic ait: obstupuerunt super eum multi, sic gloriosus erat aspectus eius inter filios hominum! Quae species utique ad opera respicit sancta, quae decorum vel speciosum in conspectu Dei reddunt amplectentem se. Quod autem ait electus ut cedri, immobilem patientiam vel humilitatem eius, per quam dolus non est in ore eius inventus praedici videtur; per quam eum exaltatum inter omnes sanctos consortesque eius vel electos cedros, reges, prophetas vel apostolos demonstrat. Confirmante de eo magistro gentium Paulo: humiliavit se, inquit, factus oboediens usque ad mortem crucis. Propter quod Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum. Quae electio non ad verbum singulare patris, sed ad omnem electum ex milibus assumptum de multitudine, convenire probatur. Qui inter omnes homines solus electus inventus est plenus veritate. In quo pater

Digitized by Google

mendacii nihil reperiret suum temptando ; qui inter omnes iustos fortissimus proeliator , qui aculeum mortis confringeret solus electus est. Cuius victoriae exaltatio , ut cedri inter myrices , caelorum virtutibus singulare miraculum praebuisse monstratur. Porro autem electio eius ideo cedris est comparata , quia cotidie in augmentum corporis sui , quod est ecclesia , crescit ; sicut cedri arbores semper crescere augmentarique dicuntur : ut ait propheta , iustus ut palma florebit *, et sicut cedrus , quaa est in Libano multiplicabitur.

* cod. *floriet.*

v. 16. *Guttur illius suavissimum , et totus desiderabilis : talis est dilectus meus , et iste est amicus meus , filiae Hierusalem.* Guttur domini nostri Iesu Christi illi mihi videntur intellegi , qui ab omni mundiali negocio se ita prolongaverunt, veram philosophiam arripientes, ut non opera hominum , non felicitates brevissimi temporis , non clades et miserias mortalium , non turpia verba , non impia lucra , non cachinnos risus stultitiae , similes ardentium spinarum strepitibus, sed semper melliflua eloquia Dei eorum guttur meditando , suavissimum guttur effecti sunt Christi. Qui ne daemonum guttur efficerentur, malorum hominum acta loquendo, relictis urbibus deserta petentes ab hominum consortio migraverunt, prophetarum exempla sequentes, Heliae, Helisaci, et Iohannis Baptistae , per solitudines et speluncas petrarum oberrantes , ne impiorum hominum errore participarentur in urbibus. In quibus nullum officium huius mundi voluptas , sed totum obtinet Christus. De quibus non est dubium dixisse apostolum : nam qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Qui omnes actiones corporeas omittentes , solum se , indefessis laudibus creatoris instando die no-

Digitized by Google

ctuque, suavissimum guttur Christi praebuerunt. Cum enim nihil aliud quam laudes hymnorum, et exultationes Dei eorum resonant fauces, desiderabile suavissimumque angelis et hominibus totum in se Christi corpus efficiunt: dum nihil in se triste, quod displiceat maiestati, sed totum quod plenum sit gaudium Deo et angelis continent. Nulla igitur causa facit amaros et exosos homines nisi lata possessio cum suis amatoribus peritura, et nulla alia causa facit suavissimos et desiderabiles Deo et hominibus sanctis, nisi parva vel contempta possessio mundi. Et ideo totum desiderabile efficit corpus Christi, is qui guttur per supradicta efficitur; dum vident homines opera eius bona, et glorificant patrem Deum, quia totum se omnifarie suavissimum reddidit omnia contempnendo.

Exposuit ergo interrogata a filiabus Hierusalem paenitentis persona per singula membra pulchritudinem Christi; caput eius ad deitatis fulgorem referens, et cetera membra ad electorum apostolorum gloriam coruscantem; per quod edocetur, ut si quando anima quolibet errore vel delicto decepta fuerit, et veniam peccatorum cupierit promereri, verum Deum verumque hominem in Christo creditura est confitendo; et omnem hominem qui secundum magistri Pauli sententiam Christum induit, et renascendo os de ossibus, et caro de carne, et membrum de membris eius effectus est, tamquam se diligere, et immaculatum fieri desiderare, optare, et credere edocetur, sicut supradicta singula membra Christi diversis laudibus extollit, et diversis pretiosis materiis comparavit. Nam si quis diligere se profitetur Christum, et praedicta non diligit membra, mendax est. Quis enim unquam quolibet amore diligit

Digitized by Google

quempiam, et aliquam partem corporis eius vult deperire? Aut non eum magis omnibus liniamentis membrorum vult sanissimum et decorum semper durare?

Illud vero quod dicit supradicta persona: talis est dilectus meus, et iste est amicus meus filiae Hierusalem; hoc vult intellegi, quod ipse sit vere dilectus et amicus Christi, per quem Christus diligitur; qui se per supradictam philosophiam contempnendo mundum cum pompis suis suavissimum exhibuerit guttur eius. Hic est, inquit, dilectus meus pro mea dilectione mortuus, verus homo; et iste est amicus meus pro mea glorificatione resurgendo a mortuis, verus Deus. Hunc utique paenitentis persona ex dilecto dilectum suum diligendo effectum, et amissas amicitias eius, per lacrimas repa-
* ita cod. rasse testatur. Nam quae letali somno expressa*, et deliciis resoluta pulsantem audire contempnendo perdiderat, fatigata quaerendo per devia afflictionis itinera, inter lilia continentiae et castitatis pascentem invenit. Primum enim cum interrogassent filiae Hierusalem, quarum officium est pro paenitentibus supplicare, qualis esset dilectus ex dilecto per offensam promulgatus,
* ita cod. ut scirent, an domino Christo vero Deo, an alio * alicui desideret suum nuntiari amoris languorem, eo quod multis sint errantis animae adulteri vitiorum spiritus, dilecti, vel amatores, quos nimio odio execrantur filiae Hierusalem, idest sanctorum personae, eius illa per singula membra pulchritudinem exposuit paenitendo.

v. 17. Nunc autem interrogant quo abiit, inquiunt, *dilectus tuus o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus, et quaeremus eum tecum?* Ne forte non credat eum de cruce in paradisum inducendo confitentem latronem abisse, deinde in inferos, inferni carcere tru-

Digitized by Google

sas animas reddendo superius declinasse, sed quasi phantasma in aëra lapsum ut asserit impius Manichaeus. Ubi vero agnoscunt confiteri vel credere eam haec, quae evangeliorum nunc sermo testatur, et pulcherrimam appellant, et pariter se ad quaerendum pergere pollicentur, respondente ea: *dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatis, ut pascatur in hortis et lilia colligat.* Descendit utique cum trophaeo victoriae de altitudine crucis in hortum suum paradisum, qui clausus fuerat per Adam, ut pascatur ibidem primum laetitiae fructum salutem confitentis latronis, ubi areola aromatis una confessio fidei multa merita animarum multis tribulationibus acquisita, complecti ostenditur; quas de regione inferni ereptas aggregavit ab inferis resurgendo. Quicumque enim sanctorum ante eius adventum extiterat, tribulationibus et aerumnis subiacuisse leguntur, per quod laetitiae horti eorum animae sunt effectae. De quibus nunc ait, ut pascatur in hortis, et lilia colligat; in quibus hortis eum pascentem invenit, utpote agnum, et multitudinis in unam fidem vel caritatem glutinatae, oratico confesssionis animarum, ut regem, delectari odore; inter quas animas, in quibus hortis, pro cuius meritis, liliis comparatas credo propter candorem castimoniae, elegit nimiam delectationem inesse manibus, quasi sponsus aggregat conservandam. De quibus hortis per Hieremiam praedixit Spiritus sanctus: erit, inquit, animarum eorum, idest credentium Deo caeli, sicut hortus irriguus. Et de quibus liliis item pronuntiatum est, talium animarum gloriosam dilectionem per Isaiam: eris, inquit, corona gloriae in manu Domini. Et alius huic similiter: anima mea in manibus tuis semper, et legem tuam non sum oblitus. Cap. VI. 1.

Digitized by Google

Unde ergo evidenter docemur, hortum intellegi diversarum credentium Christo nationes, quas sua doctrina per apostolos excoluisse monstratur; in quibus hortis animas lilia appellari opinor, quae hoc in se magno studio servant, quod contulit natura nascendo, idest integritatem per quam ipse Christus apparuit mundo; quae simul humilitatis et fidei vel contemptum praesentium rerum in se continent suavitatis odorem; quae legem eius indesinenter meditando nunquam obliviscuntur; quae eum imitantur in omnibus in quibus conversatus est et docuit super terram. Has pro liliis in manibus gestat; inter has absconsus latet animae peccatrici sive a fidei tramite declinanti, sive incredulitati iudaicae; inter quas eum invenit, eas imitando, anima paenitentis; ibi eum talia diligendo reperit; ibi ei repropitiatus apparuit post offensam; ibi eam iam dignam suis alloquiis fecit; ibi eam reparata pristina pulchritudine, quam peccando amiserat, collaudat; ibi filiae Hierusalem caelestis, quae est mater sanctorum, quarum est magna laetitia in conversione paenitentis, invento communi gaudio perfruuntur, ut cuius foeditate offensus declinaverat, nunc eius pulchritudinem admi-
v 3. retur dicendo: *pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Pulchritudo animae in lenitate morum, et suavitas in munditia cordis ostenditur; decor autem in amore pacis monstratur, eo quod Hierusalem visio pacis interpretatur. Terribilitatem vero eius in veritatis et castimoniae fiducia docuit permanere, quia intactae veritatis castimoniaeque armis accincta anima, non solum nihil metuit in procinctu (*a*) contra hostes suos, sed etiam

(*a*) Summ. vitiose *praecinctu*.

Digitized by Google

terribilitatem falsiloquis et incestoribus sua praesentia incutere comprobatur. Acies enim ordinata est contra diaboli iacula, veritatis et castae conscientiae lorica pectus armatum. Quamvis igitur aliorum vitiorum anima mole prematur, si supradictis armis fuerit communita, nullius mortalis perfacile potentia deterretur. Quae cum magna in omnibus sint, tamen in his quam maxime, qui ecclesiae praesunt, gloriosum obtinent locum; in quibus triformis castitatis vigor sanae fidei, recti iudicii, et corporis pudicitia terribilitatem adversariis, sicut castrorum acies ordinata, ostendit.

Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Sunt namque oculi nequissimi in anima errante a notitia creatoris, qui perversitate doctrinae diaboli strambi effecti lucem Christi non recte intendendo, totum corpus et animam tenebrosam efficiunt. De quibus in evangelio dicitur: si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Quibus oculis eum intendit pulsantem ianuam mentis suae, quando offensus avolaverat ab ea; et incidit in latrones dum quaerit eum, quos dixit custodes murorum. Sive ergo localem credendo eum, opinetur esse aliquem locum quem Christus ignoret, sive adimat ei incarnationis mysterium, nequissimis oculis eum intendit, sicut illi quos propheta detestatur dicendo: pupillum et viduam occiderunt, et advenas interfecerunt, et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelleget Deus Iacob. Seu iudaicae plebis inducatur persona quae adhuc non credit Christum in carnem venisse, et secundum Hieremiam prophetam Deum in terris visum venisse in Christo, cum hominibus conversatum; monetur utique huiusmodi persona post errorem facinorum v. 4.

Digitized by Google

reversa ad notitiam creatoris, ne eum illis oculis intendat, quibus eum solum hominem inter latrones pendentem in cruce nequissimis oculis intenderant crudelissimi interfectores. Sed illis se oculis intendi desiderat Christus, de quibus dixit apostolis: beati oculi qui vident quae vos videtis; quibus utique extrinsecus homo videtur, intrinsecus intellegitur Deus. Non igitur personarum eum acceptio fecit avolare, sed animae male vivendi voluptas. Ubi enim recte credendo, simplicitatis obtutibus aspicit anima creatorem, simplicitatis columbarum eius oculi comparantur oculis. Et non dicitur ei: averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt; sed dicitur: ostende mihi faciem tuam, quia decora est. In hac autem persona, quae pulsanti non aperuerat, soli oculi qui aliquando non recte videbant redemptionis humanae mysterium, iubentur averti. Alia vero membra in ea plebe, capilli, dentes, et genae laudantur, hoc est illi qui per bona opera decorant ecclesiam, sicut sequitur dicendo:

Capilli tui sicut greges caprarum, quae apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut greges ovium, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici sic genae tuae, absque occultis tuis. De his quidem membris iam retro, prout Dominus donavit, in alio diximus libello. Sed ne in totum videamur praetermittere praesentem locum, capilli huius plebis quae post offensam ad dilecti sui gratiam per paenitentiam revocata est, et post nuditatis foeditatem ad pristinam pulchritudinem, illi intelleguntur in ea qui non sermone scientiae, non continentia ieiuniorum, non castitatis gravitate *commendantur*; propter quod caprarum gregibus lascivis, levibusque animalibus comparantur; sed

v. 5.

v. 6.

Digitized by Google

sola in eis credulitas rectae fidei et misericordia (*a*) iustis laboribus laudatur, eo quod ministris Dei impertiendo solatia, ecclesiam Christi decorare probantur; eo quod non dicit eas, quibus eius capillos comparat, ascendisse de monte Galaad, sicut retro in eo loco ubi de ea plebe tractatur, quae non est ad vomitum reversa peccati, sicut nunc de hac, de qua sermo est, intellegitur factum; sed dicitur, capilli tui sicut grex caprarum, quae apparuerunt non de monte, sed de Galaad. Inter ascendere enim et apparere multum distat; nam secundum geometricae disciplinae formam vel numerum, ascensio in tribus dividitur partibus, longo lato et grosso; apparitio autem in duobus tantum longo et lato, quae nimiae tenuitatis plusquam aranearum tela attenuata monstratur. Unde ergo datur intellegi, illos qui ascendentibus capris (*b*) comparantur de monte Galaad esse, qui ab inferiore sensu carnali ad superiorem spiritalem, quasi retorti in plectam, velut capilli in capite sponsae ad Trinitatis notitiam et intellegenda spiritalia sacramenta sublimantur, eo quod Galaad acervus transmigrationis vel testimonii interpretatur. In his nempe talibus sedit acervus testimonii; in illis vero, qui apparentibus de Galaad capris comparantur, transmigratio testimonii, in quibus longitudo et latitudo, novi et veteris testamenti credulitas vix tenuiter apparet; quibus sufficit novum et vetus credere testamentum, quod Christum promisit, et quod Christum ostendit apparuisse in terris; qui etsi peritiam tantae scientiae minime fuerint assecuti, quo unius deitatis potentiam in tribus possint coaeternis approbare personis, sufficit fides.

(*a*) Summ. absurde *mina*. (*b*) In summ. deest *capris*.

Digitized by Google

In dentibus vero hi de plebe iudaica qui loti sunt sacro lavacro, et tonsa ab eis est veteris consuetudo peccandi in Christo, et ex nigredine facinorum candidi fide effecti laudari intelleguntur; qui ex luporum avida feritate humilitatem Christi sequentes, mansuetis ovibus comparantur cum dicitur: *dentes tui sicut greges ovium, quae ascenderunt de lavacro.* Qui propter acumen boni ingenii, et verbum Dei ruminando, et robur tolerandi propter Christum iniurias, fortissimi dentes ecclesiae nuncupantur, propter innocentiam autem vel patientiam ovibus similantur; de terrena vero et caeno demersa consuetudine vitae praesentis sive ad baptismi gratiam, sive ad meliorem conversationem conversi ascendere collaudantur; qui mentis intrinsecus Deo placitae, et corporis actionibus bono exemplo sanctitatis, gemellos generant foetus. Ut apostolus virginem laudat quae corporis et spiritus sanctitate refulget, sicut in praesenti nunc ait: *omnes gemellos foetibus, et sterilis non est in eis.* Illa procul dubio beata est anima in grege Christi, quae non inanibus verbis corrupta hominibus gestit videri, sed fructus mentis sancto Spiritu seminante generat Deo; in quibus omnibus bonis operibus illud quam maxime credendo concipit, praedicando pariter ab uno vero Deo omnium creatore novum et vetus testamentum manasse.

In genarum autem pulchritudine eos intellegere possumus, qui lapsi post baptismum, luxuriae maculis imaginem in se foedaverant creatoris; mundati vero lacrimarum lomento, per paenitentiam ad pristinam pulchritudinem reformati, faciem ecclesiae pulcherrimam reddunt. Qui ideo cortici mali granati comparantur, quo delicata grana contecta servantur, et

Digitized by Google

in multis medicinae gerit medelam ; quoniam lapsus sui metu vel gemitus vel cautelae exemplo, alios qui asperitatem paenitentiae laboremque ignorant, continent a peccato, aliis autem iam aegrotos suo exemplo medentur huiusmodi. Absque occultis tuis quòd ait, pulchriorem docuit castitatis cultorem in intrinsecis mentis Deo decorem gaudii praeparare, omnibus turpissimis cogitationibus foris exclusis ; propter quod hominibus conversationis suae angelicum speciosumque ponit exemplum. Illa enim quae occulta sunt hominibus bona, tam magna apud eum probantur, ut comparationem excedant ; et ipsa sunt sola quae solum habere probantur laudatorem et iudicem Deum.

Hae ergo tales animae, quae per satisfactionem ignorantiae, et innovationem vitae praeclarae, genarum loco sanctae verecundiae rubore decorant ecclesiae faciem, pro muro ostenduntur esse exemplo vitae illustris aliis animabus delicatis, et nullo tempestatis crimine laesas, cortici mali granati eas assimilando, qui ab iniuria laesionis suavissimos fructus occultant ; qui omnem austeritatem, quae etiam medicina est, ostentant, ne videantur ab hominibus gloriam consectari ; et omnem suavissimum Deo sanctimoniae fructum occultant, implentes illum psalmographi versiculum dicentis : omnis gloria eius filiae regis ab intus ; qui per veram patientiam et firmissimam humilitatem et iustitiam, pro fratribus morti subcumbere parati, veram in se Christi imaginem expresserunt. In genarum enim pulchritudine virginitatis pudicitiam, ut saepe dictum est, intellegitur refulgere ; quo bono nec ista expers est plebs, quae per paenitentiam absconsum invenit Christum. Huic utique pomo castimoniae assimilatur quod Christus, qui arbori malo granato comparatur, nascen-

Digitized by Google

do per castam virginem gignit. Et quia per ipsum creata sunt omnia, non incongruum est angelorum naturam in cortice mali granati per aenigmata nominatam opinari. Nam simile est quod ipse Christus huiusmodi promisit: in resurrectione, inquit, non nubunt neque nubentur, sed erunt sicut angeli in caelo.

Et quod praesenti versiculo ait: *sicut cortex mali punici genae tuae*; quemadmodum enim ut saepe diximus fructus mali granati cortice continentur, ita animae credentium Deo angelorum sanctorum custodia, qui sunt virtutes et potestates omnipotentis Dei, ab impugnatione et insidiis daemonum velut clausae communiuntur. Et ideo inveniabile erit iudicium, quia doctrina salutis sicut aqua maris semper inundatus est mundus; unde non defuerunt exempla bonorum, adiutoria divina, et defensionis angelicae nobis etiam nescientibus ingeruntur; et haec omnia creatoris largitas confert, ne peccemus. Et quia persuadente diabolo labimur in culpam, remedium paenitentiae praestitit post peccatum; quae quantum valeat, licet in multis evidentissime doceatur, tamen praesenti loco luce clarius demonstratur, ubi pulsanti, vocanti, trahentique dum non commodat voluntatem Spiritui sancto, declinavit huiusmodi animam atque transivit contemptus; et subducta defensione, passus est eam percuti, vulnerari, itaque nudari; et tamen post satisfactionem, in earum gloriam revocatur, quae immaculatae sunt velut columbae. Iusti enim vita beata est, sed occulta. Paenitentia autem peccatoris diabolo luctum, et angelis sanctis magnum praeparat gaudium, Christo domino nostro sui adiutorii dextram porrigente, cui est gloria in saecula saecula saeculorum. Amen.

FINIT LIBER OCTAVUS.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER NONUS.

Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adulescentularum non est numerus. Una est columba mea, unica est matris suae, electa est genetricis suae. Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt; reginae et concubinae, et laudaverunt eam. Cap. VI. 7. v. 8.

Licet omnis scriptura divinitus spirata sacris mysteriis sit involuta, tamen praesens locus tanta nube textus est, ut nisi ipse sermo Dei patris omnipotentis, qui haec scribenda dictavit, deprecatus adfuerit, et ipse nobis illuminare dignetur, quod ipse sacramenti caligine texit, hebes erit sensus noster et sermo. Obsecranda ergo est Christi redemptoris insuperabilis pietas, ut nobis elinguibus primo in loco aperire dignetur, quid sibi sexagenarius numerus et octogenarius velit; deinde quae sint reginae, quae concubinae, vel quae sint filiae, aut quae adulescentulae, quae numero carent, vel quis earum rex et dominus cognoscatur, nec non quae sit illa unica matri et electa genetrici suae tantis laudibus elevata. Vigilanter ergo intendat diligens lector numeri rationem minime posse liquere, nisi eorum sententiis fuerit terminatum, qui omnia numero, pondere, et mensura constare, asserere sunt conati.

Non igitur videatur sanctae religioni contrarium, si in paucis praedictorum sequamur sententiam, qui a creatore susceptam sapientiam, sibi et non donanti deputando, stulti sunt reputati; qui Dei providentia, si qua bona nobis dixerunt, et tamen, ut dictum est ab antiquis, sibi vixerunt; in quibus si quippiam nostrae religioni aptum repperiatur, id ut aurum de luto colle-

Digitized by Google

ctum, velut pretiosissima gemma de stercore ad dominicum thesaurum reportatur, inter quos geometrica et arithmetica vel dialectica ars certis in causis non est ab ecclesia repudianda, quibus et obscura per numeri rationem monstrantur, et occulta falsitas verisimilibus declaratur. Nam primum iudicium Salomonis, ubi duabus mulieribus altercantibus, necato filio unius sine teste, interitum minando viventi, repperit veritatem; et ubi Ioab magister militum David pro Absalon filio eius instruit mulierem, cuius sermonibus lacrimosis ad pietatis indulgentiam inclinaretur David rex; et paene omnes domini nostri Iesu Christi altercationes cum Iudaeis, dialecticae conclusiones probantur, in loco illo quam maxime ubi de baptismo Iohannis, et de adultera lapidanda, vel de censu Caesari reddendo interrogatur. Disciplina autem geometricae et arithmeticae artis mensura et numero omnem creaturam docet constare, de quibus quia omnis sapientia a domino Deo est, aliquanta videntur divinis litteris interserta, secundum illud prophetae: verbum, quod mandavit in mille generationes. Vel illud apostoli, quo adhortatur auditores suos comprehendere de mysterio crucis, quae sit altitudo, longitudo, latitudo, et profundum. Et illud: habeo, inquit, quinque verba, quae loquar vobis in ecclesia. Et multa his similia inveniuntur in libris divinis, quibus per numerum declarantur mysteria.

Sunt autem apud supradictos alii divisibiles numeri, alii indivisibiles, alii inter multas divisiones secantur, alii in unam. Nec illud vacuum opinandum est, quod in aedificatione arcae iubet Deus ad Noë numero vel mensura eius crescere constructuram. Similiter in Hiezechiele propheta ubi figuram constructionis Hie-

Digitized by Google

rusalem vel templi iubetur describere, numero ac mensura legimus omnia, sicut in figura esse patrata; et multa his similia curiosus lector inveniet in libris divinis. Primum vero, ut dictum est, iudicium Salomonis, dum adulescens adhuc regnare coepisset, de duobus mulieribus altercantibus de filio interfecto unius, dialecticae argumentationis occulta veritas populis demonstratur. Disciplina autem artis geometricae et arithmeticae, altera numero, altera agit mensuris; et ita esse cognatae probantur, ut una sine altera stare non possit. Et haec mensura et numero omne quod est, docent constare; et sunt apud eos, ut dictum est, numeri divisibiles, et indivisibiles. Sunt scilicet qui in duas partes secati aequas partes ostendunt, ut II, IV, VI, vel VIII, XVI, XX, XXXX, LX, LXXX. Indivisibiles vero sunt apud eos III, V, VII, IX, vel omnes qui divisi iterum secati in partes separes sunt. Et sunt certi numeri, qui unam divisionem recipiunt, ut sexagenarius. Sunt qui III, ut quadragenarius. Sunt qui VII, ut octogenarius. Sed longum est per singulos currere; sufficiat autem hos numeros tangere, qui in hoc cantico habentur in manibus, in quibus Spiritus sanctus ore Salomonis mysteria signat.

Sexagenarius ergo, ut diximus, numerus apud eos non recipit amplius quam unius divisionis; octogenarius vero VII. sectiones, ut deni octies demonstrentur; millenarius autem numerus apud eos solidus indivisusque et unus subsistit, qui unius deitatis tenet figuram, a quo sexagenarius numerus generatur, qui reginarum nobilitatem ostendit. De quo duo indivisibiles numeri nascuntur, novi et veteris testamenti figurantes imaginem, in quibus cohaerentes animae in toto corde reginae efficiuntur, in quarum medio rex Christus con-

Digitized by Google

sistit. Et sicut ipse rex et dominus dicitur a regendo et dominando caelorum virtutibus, angelis, hominibus, vel omni creaturae, ita et perfectae animae, quae in se veram illam nobilitatem, in qua creatae sunt, imaginis et similitudinis eius, reformaverint, reginae dicuntur vel coniuges, pro eo quod regnent vitiis, regnent peccato, vel regendus eis populus Christo credentium sit commissus in terris. Quae ita unus cum eo spiritus fiunt, ut eis dicatur: quicumque vos receperit, me recipit; et qui vos spernit, me spernit; et quibus dimiseritis peccata, dimissa erunt; et quorum retinueritis, retenta erunt. Quae adhaerendo verbo Dei concipiunt, et pariunt reges. De quibus ipse rex assumptus homo ore David praedixit ad patrem: narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae laudabo te; idest in medio sacrato hoc numero sexagenario reginarum; qui numerus per patriarchas et prophetas usque ad tricenarium in doctrina veteris testamenti pervenit, idest per legem naturae ante diluvium; per circumcisionem et legem mosaicam, quae promisit regem salutis, qui ostensus in novo testamento per baptismum, per paenitentiam, et per martyrium, idest tricenarium numerum signatum; quia hoc, quod figurabatur in veteri testamento per prophetas, in novo ostensum est per apostolos.

Nam sicut tricesimo anno secundum Lucam evangelistam rex noster Christus ad fluvium Iordanem baptizandus advenit, et aperti sunt caeli adveniente Spiritu sancto super eum, et voce paterna, quae suum filium verbum firmavit, ostensus est mundo redemptor noster, ita Hiezechiel propheta eius portendens imaginem super fluvium Chobar in terra Babylonis aetatis suae anno tricesimo, prima mensis, idest martio, quarta decima

Digitized by Google

die mensis, quod apud Haebreos est quarta decima luna, sicut Christus passus est, apparuisse sibi visionem Dei, et caelos apertos pronuntiat, et quattuor animalia effigie hominis, leonis, vituli, et aquilae plena oculis corpore toto, et rotam in rota insertam; quam visionem procul dubio salutis nostrae mysteria, quae celebrata sunt per Christum in Iordane, vel celebrantur cotidie novo in veteri testamento, et veteri in novo currente in modum rotarum, et quattuor animalia in evangeliorum figura in omni corporis sui compage, animabus credentium luminis sui visum ostendendentia, credimus, intellegimus, et tenemus Christum in veritate per suum adventum in terram hanc confusionis, quod est Babylonis, et extremae captivitatis venisse, qui expugnato principe aëreae potestatis, liberatas de eius manibus animas, amore imaginis suae, et ad necem diaboli, reginas sibi et coniuges per profectum iustitiae facere est dignatus, illas dumtaxat quae Trinitatis coaeternae fidem veram, ita ut in veteri et novo testamento suscipiunt, immaculate custodiunt; quae propterea sacrato numero, qui unam recipit divisionem, calculantur; quia semel divisae per unum indivisibilem Deum, mundi huius contagionibus ultra se non reddunt terrenis operibus mortuis, ut iterum necesse habeant dividi vel secerni.

In quo sexagenario numero ita omnium perfectarum animarum calculus designatur, sicut in multitudine fidelium in toto mundo dispersa una ecclesia dicitur: quarum amore tanto flammatur sermo divinus, ut eas ad summum gradum honoris, summamque celsitudinem perpetuae caritatis reginas faceret, suique regni consortes. Nihil enim ita Deo coniungit, nisi cum operibus

Digitized by Google

iustitiae, recte sentiendo de Deo, sicut ait idem Salomon : sentite de Deo in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite eum : et nihil ita inimicum execrabile mque constituit, nisi perversae sentiendo de Deo. Quaecumque ergo anima in omnibus Christi exercitata mandatis vixerit, et sic docuerit homines, haec secundum Christi sententiam magna vocabitur in regno caelorum. Et quae magnae vocantur in regno caelorum necesse est, ut coniunctae magno regi Christo participes regni eius reginae appellentur vel coniuges, de quibus intellegimus in hoc carmine dictum *sexaginta sunt reginae.*

Illae vero, quae non fecerint omnia prius Dei praecepta, et sic docuerint alios homines rectam fidem tenentes, pro eo quod recte docent, vocabuntur quidem in regni consortium, sed quasi concubinae minimae vocabuntur, de quibus ipse rex Christus evidenter perdocuit dicendo : quicumque fecerit prius, et sic docuerit homines hic magnus vocabitur in regno caelorum ; et quicumque non fecerit prius, et sic docuerit, minimus vocabitur in regno caelorum. Quem minimum gradum in concubinarum vocabulo vel nobilitate signavit, ut ait praesenti loco : *octoginta sunt concubinae, et adulescentularum non est numerus.* Qui octogenarius numerus apud supradictos arithmeticos divisiones recepit quattuor, vel geometras qui mensuris agunt, divisiones recepit septem, ut octies dena membra designet. Dividitur enim aequis partibus in XL, inde bis in XX, deinde secatur in denos, et remanet bis in XX, et semel in denos ; quem denarium numerum indivisibilem ponunt, quia per duo iota in latino se invicem complectentes signatur per calculum ; quem si dividere aequis

Digitized by Google

volueris partibus non quinque, sed unum contra veritatem numeri ostendis, qui octogenarius numerus octies in X. divisus octo beatitudines germinat, quae in Matthaeo evangelista dinumerantur, quae octo septiformem Spiritum divisione intersertum recipere comprobantur, de quo beatus Paulus ait: operatur haec omnia unus atque idem Spiritus divisione donationum; idem autem Deus dividens se unicuique, ut vult.

De quibus beatitudinibus, quaecumque anima avidius quaerendo amplius potuerit possidere, ut omnes dignae pro meritis, magna in regno caelorum vocabitur vel regina. Quae autem unam aut aliquid parum adepta fuerit, vocabitur et ipsa ut dictum est, in regni consortium; sed minima a supra dictis concubinae vocabulo vel dignitate, non tamen reginarum. De quibus octo beatitudinibus, et septiformis Spiritus, qui super dominum Christum ab Isaia propheta requiescere est praedictus, et in omni baptizato, in hoc ipso Salomone intellegitur designari, et hanc ipsam intellegentiam octogenarii numeri declarari, ubi ait: da partes octo, nec non et septem. Qui sunt concubinae per hoc, quod credunt coaeternam Trinitatem, et de manu inimici sancto lavacro humanum redimi genus, et septiformi Spiritu signari, ut possit ad beatitudinem pervenire, in quo nos dixit signari apostolus Paulus; qui cohaerent domino suo, et de verbo eius aliquando concipiunt et pariunt filios per doctrinam, per hoc quod Christum induunt in sacrosancto baptismate, et corpus eius et sanguinem suo corpori iungunt, sed aliquando appropinquando servandoque praecepta eius, nonnunquam prolongando minime servantes, concubinarum vocabulo, ut ancillae et minimae appellantur. Nam si-

Digitized by Google

cut illae animae, quibus dicitur, sedebitis et vos cum sederit filius hominis super sedem maiestatis suae, super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël; quae utique secundum nobilitatem magnos probantur per doctrinam et vitae exemplum filios generare.

Adulescentularum autem carentium numero, opinor illarum induci personam animarum, quas imperitiae vel neglegentiae aetas de verbo Dei, licet ei iungantur per baptismum, concipere prohibet; quae adhuc sub paedagogorum et procuratorum, idest angelorum et doctorum, cura vel arbitrio gubernantur, quousque rudimenta credulitatis infantiae neglegentiaeque iuventutis deferentes, in mensuram fidei, in perfectionem aetatis plenitudinis Christi perveniant; quae dignae sint vel potissime sexagenario reginarum, aut octogenario concubinarum calculo copulari, quas immatura aetas non sinit parere filios per doctrinam et exemplum, sicut reginae vel concubinae parere possunt. In quibus adulescentibus et illas intellegi animas necesse est, quae dextram et sinistram ignorant, quales erant Ninevitae centum XX. milia hominum Ionae praedicatione salvata; quae animae redemptionis mysterio sola credulitatis responsione renascendo sacrantur; quae solo verbo sacerdotis, quocumque ductae fuerint, secuntur; quibus magister gentium Paulus quasi infantibus et corporalem laetitiam diligentibus, diem festum, neomenia, et sabbatorum epulas indulget dicendo: nemo vos iudicet in die festo aut neomeniae aut sabbatorum. Et unusquisque suam uxorem, et unaquaeque suum virum habeat propter incontinentiam fornicationis. Et quibus scribunt apostoli Antiochiae dicentes: non vobis amplius pondus imponimus nisi ut abstineatis vos ab immolato idolis, a sanguine vel suffocato, et fornicatione.

Digitized by Google

Sunt ergo significati praesenti versiculo tres ordines meritorum in ecclesia secundum haec aenigmata, doctores videlicet immaculate viventes, docibiles, qui doctorum vitam imitantur et sermonem doctrinae magno desiderio student intellegere et diiudicare' sanam vel minus sanam doctrinam. Tertius vero ordo est adulescentularum, quibus sola credulitas in unum Deum subvenit ad salutem, quae non sunt dignae adhuc sacrato numero copulari; quae omnes, licet habeant regem verbum patris, qui in principio erat apud patrem Deum, tamen distat dignitas meritorum. Qui rex noster dominus Deus inter milia milium animarum laetificantium et glorificantium se, quas ad laudem suam creavit, de quibus dixit per Isaiam: populum istum ad laudem meam creavi, gloriam meam laudabit; unam immaculatam, unam perfectam columbam in tota congerie repperit animarum; quae regina reginarum, et domina esset omnium dominorum; quae fixa in gradu plasmationis suae per arbitrii libertatem stans, portas mentis suae nunquam patefaceret hosti diabolo; quae dotem voluntatis a creatore susceptam, in ipsis voluntatis operibus dilatando regestorium cordis implevit, et plenum cum magna vigilantia semper clausum habuit, et signatum, ne haberet princeps mundi, ubi aliquod suum ingereret persuadendo; quae omnium praesentium rerum contempneret pompam; quae sensibus corporalium delectationum nunquam accommodaret consensum; quae futuris bonis indeclinabiliter aciem mentis dirigeret; quae omne desiderium suum in nullis omnino saeculi laudibus, in nullis perituris rebus, in nullis mundialibus actionibus, nisi in sola verbi Dei glutinatione poneret, semperque sola in terrenis omnibus ani-

Digitized by Google

malibus humilior perfectiorque praescita cognoscitur, sicut unus Deus in caelo super omnes virtutes donationum, thronorum, sedium, angelorum, vel omnium potestatum dominus et creator probatur; quae ut caput omnium animarum sanctarum verbo Dei non adoptive aut ad tempus, sed corporaliter unita materia manente, unum cum eo effecta, devitans omnia peccatorum opera, carens omni malitia, columba dicitur et perfecta; per quam sermo Dei patris peccatum dampnavit in carne, mundum redemit de maledictionis sententia; qui debacchante diabolo ratione non potentia vicit, ut hominem de eius manibus liberatum pristinae redderet libertati; per quam trina gloria refulgente ex carne caro visibili iudice uteretur; per quam redimendae animae sui generis redemptore gauderent; in qua vera caro et vera anima et carnem resurgendo a mortuis suscitaret, simul et animas ad iudicium congregaret, et verus Deus immortalem sui regni gloriam in sequentibus condonaret.

Haec est procul dubio una anima reginarum regina, quam Dei sermo assumptam portasse probatur, per quam inferna concussit, et clausis aperuit animabus, et reddito corpore secum reduxit ab inferis resurgendo; per quam et in qua contra rerum naturam caelo mirabiliter ingressa est humana fragilitas, per quam expulso diabolo aula deitatis effecta est carnis natura. Is enim qui verbum caro factum, adunando se carni, habitavit in nobis, quam de nostra natura traxit ex virgineis visceribus secundum evangelistae sententiam dicentis: et verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et hanc unicam animam de nostra natura animarum sibi indissolubiliter unitam, idest per conturbernium Spi-

Digitized by Google

ritus sancti, qui corporaliter super eam semper mansurus, in Iordanem descendit; cuius coniunctione, perfecta, et columba probatur, columba virtutibus Spiritus Sancti cum operatione in omnibus coaequata, perfecta autem Dei patris omnipotentia in omnibus obtinendo; quae sola et unica Dei verbo, ut ductilis materia igni adhaerendo, unum redemptorem, solum iudicem, unicum filium patris saeculis condonatum ostendit. Quam praevidens Spiritus sanctus in medio animarum sanctarum unam solam, quae sine peccati initio, vel fine, omnibus praefulgere ore Salomonis dixit: *una est columba mea, perfecta mea* *, *unica est matris suae, electa est genetricis suae.*

* ita fiat et p. 73.

Manifestissime scilicet unica est matris suae synagogae plebis hebraeae, quae eum genuit secundum carnem, cuius anima nunquam dedit voluntatis suae dexteram peccato, quae sola cum omnia hominis habeat, hoc solum non habuisse probatur. Electa est genetricis suae, illi procul dubio virtuti Altissimi, quae omnes animas generat, quae dixit per Isaiam prophetam: spiritus a me procedit, et flatus omnes ego facio. Et per Iohel: virtus mea magna faciet haec. Quae beatam virginem Mariam in eius conceptu sua obumbratione implevit, cui evangelista narrat ab angelo dictum: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi; ideo quod nascetur in te sanctum vocabitur filius Dei. Quae virtus dum iussione sua omnem multitudinem generat animarum, ut unus in trina potentia Deus agnosceretur, unam elegit, postquam unum mundi ostenderat salvatorem; non sicut Photinus blasphemando multos asserit salvatores, dum solum hominem Christum intendit probare dicendo: quisquis cuius animam

Digitized by Google

sua doctrina convertit ab errore vitae suae, huius salvator efficitur; et non videns in omni homine verba pietatis prophetante ad lucrum animarum Christum salvatorem loquentem. Hic loquebatur in Paulo.

Unica est ergo matri suae genti hebraeae, quae sola de homine quidem nata, sed non humano ordine procreata, electa est genetrici suae, supradictae virtuti ante saecula in praescientiam ad redemptionem creandi hominis per liberam voluntatem a diabolo depravandi. Nam ut doceret omnes animas hominum non a corporibus, sed ab eius potentia generari, non dixit, unica est genetrici suae, sicut de synagoga dixerat: unica est matri suae; sed ostendit inter multitudinem animarum unam esse electam mediatricem inter robur divinitatis, et carnis fragilitatem, quae in se verum Deum veramque carnem adunatam unam personam ostendit; quae missa in corpus, cum corpore egressa inctactum uterum virginis derelinquens, nec ante se nec post se habendo consortem nascendi, unica effecta est virginis matris; quae mammas lactigeras porrigendo, iure dicitur mater et virtus Altíssimi; quae se per Isaiam prophetam genetricem docuit animarum, iusta ratione tam gloriosa anima eius electa probatur; quae semper Dei verbo adhaerendo, ut ignis carbunculus tota ignita effecta est, et ut ignitus carbunculus inter multitudinem mortuorum carbonum coniunctos omnes accendit, ita in medio animarum vitae aeternae mortuarum sola, unica, electa omnes credentes in se animas vivificavit, et sibi similes fecit, et ad suam pulchritudinem adduxit; in quarum tamen medio, unico splendore, ut luna perfecta in caelo, inter stellas super omnes micare probatur in pulchritudinem sempiternam; et electa ut

Digitized by Google

sol, in maiestate paterna inter omnes virtutes caelestium potestatum admiranda ab omnibus praedicatur, sicut sequens versiculus docet: *viderunt eam etc.*

Hactenus nunc edidimus. Et quidem libri noni pars adhuc dimidia in codice remanet, nec non libri tres subsequentes X. XI. XII.

Fausti Reiorum in Gallia episcopi, saeculo quinto clari, quinque vidi in vaticanis codicibus sacros sermones. Primus est de ieiunio quadragesimali, huncque reperi editum inter Caesarii arelatensis homilias num. 2. Secundus est de ascensione Domini, isque item mihi occurrebat inter Eusebii gallicani homilias Bibl. PP. Lugdun. T. VI. p. 647. Tres alios de Pentecoste, et de S. Trinitate, ac de Spiritu sancto, dogmaticos atque praeclaros, non reperiebam neque inter sex illos Fausti a Martenio in Monum. T. IX. editos, neque rursus cum aliis eiusdem Fausti scriptis in praedicta Patrum Bibliotheca T. VIII. legebam. Denique in sermonibus augustinianis append. serm. 184. vix paucissima verba inveniebam, quae sunt apud Faustum nostrum in clausula tertii sermonis. Itaque, nisi mea me opinio fallit, inediti adhuc sunt tres hi Fausti sermones, vel certe nondum mihi in libris impressis sese obtulerunt. Quamquam in tanta homiliarum veterum farragine, tantaque nominum perturbatione atque auctorum suppositione, nihil satis firmum, nisi lapsu temporis, et cum multorum oculorum inspectione ac iudicio, constitui potest.

FAUSTI EPISCOPI

SERMO DE PENTECOSTE.

Hodie, fratres karissimi, omnia quae nobis lecta sunt, cum festivitate conveniunt. Psalmus enim, redde mihi

Digitized by Google

inquit laetitiam salutaris tui, Spiritu principali confirma me. Evangelium autem, venit inquit Spiritus veritatis. Scriptura vero apostolorum actuum, repleti sunt inquit omnes Spiritu sancto. Completa sunt ergo omnia atque perfecta. Psalmus adventum sancti Spiritus petiit, evangelium venturum esse promisit, scriptura apostolicorum actuum iam venisse memoravit. Nihil itaque de rerum divinarum ordine in lectione deest; quia in propheta deprecatio est, in evangelio promissio, in actibus plenitudo. De ipso enim Spiritu sancto etiam beatus apostolus contestatur dicens: alii datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae, alii fides in eodem Spiritu. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.

Sed dicit fortasse hoc loco aliquis: si eis tantum dividit dona sua Spiritus quibus vult, ergo extra culpam est qui non accipit donum; quia divisio gratiarum non ex accipientis pendet voto, sed ex arbitrio dividentis. Verum est, dilectissimi, sed ita tamen verum est, ut hoc de virtutibus tantum, non de vita intellegamus. Virtutes enim non omnes possumus obtinere etiam si velimus, vitam tamen omnes possumus capere si quaeramus; secundum illud, omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit. Divisio ergo sublimium et excellentium gratiarum, ad arbitrium et ad dispensationem sancti Spiritus pertinet; conversatio vitae bonae ad fidem hominis ac laborem. Omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit. Petat tantum aliquis toto corde et quaerat; qui tibi iussit quaerere, sine dubio praestat ut valeas invenire. Numquid enim mentitur sermo divinus? Pulsate, inquit, et aperietur vobis. Ut quid pulsare nos praecepit, nisi quia vult aperire pulsanti-

Digitized by Google

bus ? In homines ipsos haec iniquitas non cadit, ut se velint rogari, quod nolint annuere. Omnis enim qui praestandi non habet votum, petentis refugit postulatum. Nemo est qui se rogari velit, nisi qui ante apud se deliberat ut praestet. Ergo Deus, qui omnibus vult tribuere, ab omnibus vult rogari dicens : petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis.

Sed dicere forsitan potest aliquis : si omnis qui petit, accipit ; ergo etiam si virtutes petamus, accipiemus. Quur enim non etiam virtutes petamus, si omnia possumus accipere quae petierimus ? Non ita est, dilectissimi. Superbum est enim, et supra hominis conditionem, virtutum gratiam postulare. Humilis quippe esse debet humana interpellatio, non praesumptuosa ; salutem tantum postulans, non vanitatem. Cum enim nullus homo extra peccatum esse possit, quae impudentia est eum virtutes petere, qui adhuc de venia ad plenum securus esse non possit ? Sufficit ergo homini misericordiam Domini promereri. Maximam se adeo obtinuisse virtutum gratiam debet credere, qui potuerit ad indulgentiam pervenire. Qui enim aliquid praesumptuose petierit, hoc ipso minus meretur accipere, si altiora praesumpserit postulare. Huc accedit, quod homo virtutum gratiam petens, si non offenderit Deum precum praesumptione, periclitari tamen poterit vanitate. Non enim omnibus expedit exercendarum virtutum gratiam possidere. Sunt enim potiores in humilitate positi, quam iactantia sanctitatis inflati. Sunt quibus periculosa est ipsa sublimitas gratiarum. Qui in excelso positus firmiter stare non novit, hoc ipso gravius cadit quod ad altiora conscenderit. Et ideo beatus apostolus divisiones, inquit, gratiarum sunt, et haec omnia ope-

Digitized by Google

ratur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Bene ait, prout vult; quia nihil est homini melius quam quod ille vult. Voluntas enim Spiritus sancti bene novit dispensare munera sua. Nihil est utilius quam hoc tantum, hominem de virtutibus habere, quod Spiritus sanctus iudicarit homini se debere conferre.

Sane si quis virtutum gratiam desiderat obtinere, habet virtutes quas possit innocenter appetere; quaerat castitatem, apprehendat sobrietatem, teneat disciplinam, diligat caritatem. Istas enim virtutes cum Dei gratia omnes habere possumus et debemus. Non enim in solis expellendis daemonibus, aut curandis infirmitatibus, et sanitatibus dandis, virtutes esse credendae sunt. Omne opus bonum virtus est. Si cotidie bene agitis, si sancte et iuste vivitis, cotidie virtutum opera sancta completis. Non potest aliquis ab alio daemonem expellere? A se ipso saltim vitia daemoniacae impugnationis expellat. Non potest quis curare alieni corporis morbum? Curet morbum animae suae. Non quaeritur ab homine ut sanitatum gratiam tribuat, quae ei data a divinitate non fuerit. Nihil maius poterit efficere, quam si ipse ad sanitatem propriam meruerit pervenire.

Post laborem vigiliarum, non oportet ut vos diutius prolixior sermo fatiget. Et ideo quicumque est spiritalis, et pleniorem sermonem de divinitate sancti Spiritus audire desiderat, die crastina maturius ad ecclesiam sitienter ac fideliter veniat. Qui enim venire dissimulaverit, non se esse spiritalem apertissime demonstrabit. Sed credimus de Dei misericordia, quod plus apud vos gratia Spiritus sancti, quam occupatio mundi istius praevalebit; praestante domino nostro Iesu Christo, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

EIUSDEM FAUSTI EPISCOPI

SERMO DE SANCTA TRINITATE.

Cum de Deo sermo est, fratres karissimi, sicut valde noxia est contradictionis intentio, ita utilis est interrogationis sollicitudo. Ibi enim de obstinatione sensus obstruitur; hic intellectus de obstinatione nutritur. Illic depravari resistens, infidelitas delectatur; hic erudiri obediens humilitas promeretur. Vos vero, fratres karissimi, praeparate exceptorium sancti pectoris vestri influenti aquae divinae, et quod de mysterio sanctae Trinitatis, vel divinitate sancti Spiritus insinuare cupimus, cum silentio et quiete suscipite. Sanctarum enim scripturarum testimoniis volumus approbare quomodo Spiritus sanctus in cunctis virtutibus Patri et Filio coaequalis esse evidenter possit agnosci.

Legimus in veteri testamento, quia in principio fecit Deus caelum et terram, et Spiritus Dei ferebatur super aquas. In Deo intellige Patrem, in principio accipe Filium, superfusum aquis agnosce Spiritum sanctum. Super aquas itaque dominantis eminentia ferebatur, iam tunc credo baptismi munera praefigurans. In faciendo quoque non unius sed trium personarum opus esse demonstrat trina repetitio deitatis. Ita enim legimus: et dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Adverte sententiam in propositione simplicem, in responsione multiplicem. Et dixit Deus, faciamus hominem. Quid est aliud, nisi quia substantia unitatis loquitur, et potentia trinitatis operatur? Prospice quomodo trina vice nomen Dei in creatione hominis nuncupatur. Sic enim habemus in

Digitized by Google

genesi : et dixit Deus , faciamus hominem. Et iterum : creavit Deus hominem. Et tertio : benedixit ei Deus. Dixit Deus , fecit Deus , benedixit Deus. Dixit Pater , fecit Filius, benedixit Spiritus sanctus. Propter tres personas ter iterum una divinitas. Quo loco evidenter mysterium etiam unitatis intellige. Ecce imago Dei et similitudo unicuique homini a tribus datur , et tamen una esse dignoscitur. Dixit Deus , faciamus. Diligenter attende , dum unus dicit , et unus facit. Nec dicit , ad imagines et similitudines nostras , vel certe ad imaginem et similitudinem meam. Unitatem singularitate, trinitatem pluralitate commendat. Itaque in eo quod dicit faciamus ad nostram , personarum numerus explicatur ; in eo vero quod singulariter ait ad imaginem et similitudinem, in unam substantiam deitas indivisa colligitur.

Cum Abrahae in ostio tabernaculi apparuisset Deus, et tres se eius oculis mirabiliter optulissent, in tribus unum conscius maiestatis adoravit. In psalmis quoque absolute personis suis trinitas designatur. Ne proicias me , inquit , a facie tua , et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Ecce propheta Patri supplicans , non minus Spiritus sancti quam Patris et Filii expavescit offensam ; ne proicias me , inquiens , a facie tua. Filius sicut imago Patris, ita et facies Patris accipitur, et ideo legimus : Philippe, qui me videt, videt et Patrem. Item : quo ibo a Spiritu tuo , et quo a facie tua fugiam ? Adverte in fide perfectae confessionis, mysterium trinitatis. Propheta ad Patrem loquitur , faciem Patris Filium profitetur , diffusum per omnia Spiritum sanctum protestatur. De Filio autem etiam ad Moysen loquitur Dominus : facies mea praccedet te. Quod nomen , id est facies , et ad unitatis substantiam , et ad coaeternitatem pertinet maiestatis.

Digitized by Google

Esaias quoque Spiritum sanctum unum in gloria trinitatis annumerat quando dicit : vidi Dominum sedentem super solium excelsum , et seraphin stabant , et clamabant alter ad alterum, sanctus , sanctus , sanctus , dominus Deus sabaoth. Et in consequenti dicit : audivi vocem Domini dicentis : vade , et dic populo huic , auditu audietis et non intelligetis , et videntes videbitis et non videbitis. Credamus saltem Paulo praeconi celeberrimo veritatis , quod Spiritus sanctus fuit ille exercituum Dominus, quem vidit Esaias , et qui locutus est per Esaiam. Sed quia trina responsione persultat , sanctus , sanctus , sanctus , videamus ne hic honor ad totam respiciat trinitatem. Esaias cum dicit , vidi Dominum sabaoth , Patrem Iudaeis agnoscitur praedicare. Iohannes evangelista Filium probatur asserere ita dicens : propterea non poterant credere in Iesum , quia dixit Esaias, excaecavit oculos eorum. Haec dixit Esaias, quando vidit gloriam filii Dei , et locutus est de eo. Quod autem idem Esaias dixit : et audivi vocem Domini dicentis , vade et dic populo huic , auditu audietis et non intelligetis , et videntes videbitis et non videbitis , hunc Dominum apostolus Paulus , ut diximus , Spiritum sanctum esse confirmat. Vides ergo quia sanctus sanctus sanctus , haec vox totam concelebrat trinitatem. Et sicut in his tribus verbis nulla dissimilitudo , nulla est differentia , ita in trinitatis virtute nulla potest esse distantia.

Sed dicis : ex hoc minor esse Spiritus sanctus evidenter agnoscitur , quia Dei digitus nuncupatur. Non ita est ; sed quando audis de Spiritu sancto , si ego in Spiritu Dei vel digito Dei eicio daemones , non gloriae diminutionem , sed substantiae demonstrari noveris uni-

Digitized by Google

tatem ; nec honoris discrepantiam , sed operis esse concordiam. Quid ergo ? Quia Spiritus sanctus digitus interdum dicitur , ideo minor Filio et Patre creditur. Refuge huius persuasionis errorem. Vide ne aliquotiens in hac designatione digiti Patrem comprehendas et Filium. Meminerimus , non de uno digito dictum esse cum legimus : quando videbo caelos tuos opera digitorum tuorum ? Sed cum dicis in digitis , de Filio hoc tantum et de Spiritu sancto sub quadam dualitate signari. Nec hoc de duabus personis asserere coneris. Alio loco totam Esaias digitorum numero loquitur trinitatem dicens : quis appendit tribus digitis molem terrae? Quid evidentius de trinitatis unitate ? quid clarius ? Nonne hic in tribus digitis , potentiae unius aequalitatem sub quadam mysterii lance libravit? Ergo , ut dictum est , cum iam instructus sis de societate operis , non dubites de parilitate virtutis dicendo : ergo suis appendit tribus digitis molem terrae ? Hic simpliciter loqui voluit de cooperatione potentiae et unitate substantiae , quae una eademque esse in tribus digitis approbatur.

Quamvis cor vestrum ad audiendum verbum Dei Spiritus sanctus semper accendat , ita ut vix possint vestra sancta desideria satiari , tamen providendum est , ut ita verbi Dei praedicatio temperetur , ut vobis iugiter desiderari , et semper possit augeri. Ideo iam ista quae dicta sut , caritati vestrae sufficiant. Et quia aliquid de sermone isto vobis credidimus reservandum, si secundum vestram consuetudinem die crastina maturius conveneritis, absque aliqua lassitudine, matutinis explicitis , quod ex industria reservatum est , audietis ;, praestante domino nostro Iesu Christo , cui est honor in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

EIUSDEM FAUSTI EPISCOPI

SERMO DE SPIRITU SANCTO.

Quod de divinitate sancti Spiritus hesterna die caritati vestrae servavimus, nunc si iubetis cum silentio et quiete, opportune vel congrue audire potestis. Cum Spiritus sancti personam propriam demonstremus, et Patrem confiteamur ingenitum, Filium vero cognoscamus unigenitum, quaeris aliquis a me utrum Spiritus sanctus ingenitus an genitus, an quid aliud confitendus sit. Scripturae sanctae de potentia et deitate Spiritus sancti locuntur; utrum vero genitus dici debeat, an ingenitus, non locuntur. Vide quas tibi tenebras infidelitas facit. Non vis scire quod Deus noluit ignorari, et vis scire quod Deus non iussit inquiri. Non dixit genitum, ne Filium crederes; non dixit ingenitum, ne Patrem putares; sed ad essentiae distinctionem, procedere eum ex Patre testatus est, sicut legimus: Paraclytus ex Patre procedit. Quae cum ita sint, vel sic agnosce Spiritum sanctum propriam habere personam. Praeter duos, esse tertiam probat diversitas nominis, procedentem ex Deo. Non esse ordinem vel gradum tertium, monstrat unitas maiestatis. Qui enim de interioribus Dei progreditur, non Dei creatura sed Dei probatur esse substantia. Non scruteris qualiter Deus sit, quem esse manifestum est. Hic ratio latet, veritas non latet. Cur interroges quomodo socius vel aequalis regis, quem regni esse constat et honoris et generis? Et superflue de nomine agitur inquisitio, ubi non est de sublimitate dubitatio. Ergo quia Spiritus sanctus de utroque procedit, ideo dicitur: qui

Digitized by Google

autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et alio loco: insufflavit, et dixit, accipite Spiritum sanctum.

Utrum genitus an ingenitus sit, requiris? Nihil ex hoc eloquia sancta cecinerunt. Nefas est irrumpere divina silentia. Quod Deus in scripturis suis indicandum esse non credidit, interrogare vel scire superflua curiositate te noluit. Numquid in hoc est gloria vel substantia Spiritus sancti, si aut ingenitus probetur, aut genitus? Nam et Filio quicquam non derogat quod ingenitus esse non legitur, nec Patri quod genitus non habetur. In huiusceemodi sermonibus proprietas est appellationis, non diversitas potestatis. Genitus et ingenitus, personae est differentia, non naturae. De Spiritu vero sancto dominus et Salvator noster iturus ad caelum sic locutus est ad apostolos suos: cum, inquit, venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et iterum: ille, inquit, docebit vos omnia. Quid est hoc, dilectissimi, quod missurum se ad docendos discipulos Salvator dixit Spiritum sanctum? Numquid non docuerat apostolos suos, aut semiplena putanda est Christi fuisse doctrina? Non, absque dubio. Sed quia fides vestra in Patre est et in Filio et in Spiritu sancto, hoc voluit mittendo Spiritum sanctum Salvator ostendere, quod ecclesias suas et voluntas Dei Patris aedificaret, et passio Filii redimeret, et doctrina sancti Spiritus confirmaret. Quomodo hoc agnosci evidentius potest? Quomodo? nisi quia ad redemptionem nostram Deus Pater Filium suum misit; Filius nos sua passione salvavit; fidem autem nobis Spiritus sanctus inspiravit? Ac sic salus ecclesiarum totius divinae trinitatis operatio est. Pietas enim Patris humanum genus

Digitized by Google

perire noluit ; Filius nos de interitu liberavit ; Spiritus sanctus ad caelestia nos regna perducit. Ita tamen in Spiritum sanctum credite, ut nec Patrem eum putetis esse nec Filium, sed Spiritum Patris et Filii. Tota autem ista trinitas unus Deus est. Nulla ibi dissimilitudo, nulla divisio est. Si enim Spiritus qui in homine est, maior ipsius hominis portio est, Spiritus Dei quomodo minor esse credendus est? Itaque Spiritus sanctus neo Pater est, nec Filius, sed Spiritus Patris ac Filii.

Quod autem Spiritus sanctus, Patris Spiritus sit, dominus et Salvator noster dixit : Spiritus, inquit, qui a Patre procedit. Quod vero idem Spiritus sanctus etiam Filii Spiritus sit, apostolus docens dicit : siquis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Unde et Dominus in evangelio post resurrectionem suam ad discipulos suos ait : euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. In nomine inquit, non in nominibus. Pater itaque, Deus ; Filius, Deus ; Spiritus sanctus, Deus ; non tres Dii, sed unus Deus est. Persona tres species dividit, divinitas iungit. Maius autem aut minus ignorat trinitas, deitas nescit, quia et qui Deus est, non potest non esse perfectus. Ideo et qui non credit in nomine Spiritus sancti, nihil ei prodest Patrem et Filium confiteri. Ergo Spiritus sanctus una fide credendus est, pari tremore venerandus. Cum dixeris Pater, Filius, et Spiritus sanctus, personas explicuisti. Cum dixeris Deus, substantiam demonstrasti. Dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ne te aestimes unam credere debere personam. Item dicimus unum Deum, ne putes tres esse naturas. In his itaque tribus personis numerus esse potest, ordo esse non potest. Nam etsi distinctionem recipit

Digitized by Google

trinitas, gradum tamen nescit aequalitas. In trinitate enim non est aut minus aliquid aut maius; quia si in Deo aliquid minus dicitur, imperfecta divinitas accusatur. Ita tamen quod qui in deitate minorem Patre aut Filio dicit Spiritum sanctum, non illi tantum iniuriam facit, quem minorem iudicat, sed illi etiam quem maiorem putat: quia cum totius trinitatis una aequalitas sit atque maiestas, quicquid contumeliae in personam unius dicitur, a tota aequaliter trinitate sentitur.

Nos vero, karissimi, qui templum sancti Spiritus esse meruimus, adiuvante ipso Spiritu sancto paremus domum, in quam illum venire, in qua delectet habitare. Invitet mundi cordis nitor, sollicitet illum par rubentibus rosis castus pudor, sollicitet candentibus liliis et odore similis et colore incontaminata virginitas, suscipiat illum benigna caritas, humanitas larga, sublimis humilitas, hilaris misericordia, pura simplicitas. Nihil ibi de prisci hominis sordibus, nihil de lapsuris infirmitatibus aeternus habitator, aeternitatis largitor inveniat. Recedat turpissimae voluntatis * luxuria, pallens conscientia, tristis metus, nutans ebrietas, et libido omni horrore deformior; ut cum in nobis ista defuerint, locum virtutibus praevius puritatis nitor aperiens, Spiritum sanctum in domicilium paratae sibi habitationis includat. Hoc enim ideo suggessimus, karissimi, ut quantum possumus totis viribus cum Dei adiutorio laboremus, ne in nobis aut avaritia displiceat, aut infidelitas langueat, aut libido sordescat; sed emendati penitus ac puri habitaculum Dei effici mereamur; et Spiritus sanctus, qui descendisse hodie in apostolos legitur, semper in nobis habitare dignetur; cui est honor et gloria cum Patre et Filio in saecula saeculorum. Amen.

* voluptatis ?

Digitized by Google

DE SEQUENTE SERMONE

MONITUM.

Faustini episcopi homilias animadverti duas in priscis bibliothecae vaticanae codicibus, priorem de passione (seu paschate) Domini, quam veluti incognitam exhibuit Martenius in Anecdotis T. V. p. 58; *in quo tamen sua Martenium fefellit opinio, quia ipsa iam extabat inter Eusebii gallicani homilias in Bibl. PP. Lugdun. T. VI. p.* 633. *Erravit aeque Vignerius, qui in S. Augustini supplemento T. I. p.* 391. *tamquam novam eiusdem S. Augustini homiliam protulit illam de kalendis ianuarii, quam iam Bollandus sub Faustini nomine impresserat in actis Sanctorum die ianuarii prima. Neque ego huiusmodi errores in bene meritis doctisque editoribus magnopere obiurgo vel miror: nemo enim, qui veterum monumentorum magnum numerum in lucem protrahat, ab his casibus vel potius oblivionibus immunis est.*

Alteram, quam ego vidi Faustini homiliam de epiphania Domini, nondum quidem editam legi, eamque heic repraesento, ita tamen ut quod nuper p. 75. *de novis Fausti sermonibus haesitans dixi, pari ac fortasse potiore iure de hac Faustini homilia sentiam. Quis vero, cuiusnam sedis episcopus, et cuius aevi homo Faustinus fuerit, ignoro; quamquam eum inter quintum sextumque Christi saeculum credibiliter collocaverim. Ceteroquin varios Faustini sermones sparsim editos non commemoro, quia eos iam noverunt philologi. Videsis certe alium in Bibliotheca PP. Lugdun. T. VI. p.* 679. *Denique novum eiusdem Faustini de depositione (mortuali) sancti Augustini sermonem vulgavit illustrissimus et doctissimus catalogi codicum alcobacensium in Lusitania editor eborensis archiepiscopus; sed ne ex hoc quidem sermone notitia ulla Faustini dignoscitur.*

Digitized by Google

FAUSTINI EPISCOPI

SERMO IN EPIPHANIA DOMINI.

Sollemnitatem nativitatis domini nostri Iesu Christi, fratres karissimi, ea fide celebravimus, qua Deus ex homine natus est; hanc vero ea observatione veneramur, qua Deus in homine declaratus est; illic in infirmitatibus absconditur, hic virtutibus revelatur. Hodie namque Magos ab oriente venientes usque ad locum geniti Salvatoris stella Christum quaerentibus monstratura perduxit. Spectatur sub humili tugurio sacra nativitas; adoratur in pannis qui fulget in stellis; adoratur in pannis, idest sub abiectione corruptionis humanae, involuta maiestas. Revelatur in novitate ministeriorum divinae misericordiae magnitudo. In eo quod ad Christum Iesum primum Aethiopes idest gentiles ingrediuntur, gentium primitiae consecrantur. In agnitione veritatis synagogam Iudaeorum praecedit ecclesia gentium, peccati nigredine exuenda, et fidei candore induenda. Haec itaque ecclesia in praesepe salutem nostram expetit, idest prius populorum infidelium multitudine intra ecclesiae domum recepta mansuescit. Iudaei quidem gloriantur in cultu legis, sed primi legati gentium vident Christum; quia sanus lucem Christi oculus sequitur, Iudaeorum vero corruptus intuitus ipsa luce suffunditur, et aeger obtutus magis illato lumine tenebratur.

Interea beata legatio perducta est ad sacra cunabula radio desuper currente. Miramini, fratres karissimi, quod extrema gens bono publico prima fruitur, quod stupenda dignatio inter amplexus genitricis in-

Digitized by Google

cluditur, quod in sinu matris latet qui caelum terramque complectitur. Per simplex officium spirituale revelatur arcanum, humanitas cernitur et divinitas adoratur. Exhibent Magi aurum thus et myrrham, plus in ministeriis quam in conscientiis offerentes. In auri munere regia dignitas, in thuris vapore divina maiestas, in myrrhae specie humanitas sepelienda monstratur; ac sic Trinitatem, oblationis numerus loquitur; unitatem, devotio una testatur.

Ac per hoc pervigili cordis intentione caelum studeamus aspicere, si ad Christum cupimus pervenire. Dirigat nobis semitas viae perfectae stella iustitiae. Offeramus ei aurum fidei, pietatis aromata, castitatis holocausta. Spiritualem myrrham habeamus in nobis, quae ita animas nostras condiat, ut illaesas a peccati corruptione custodiat. Mutemus viam, si volumus pervenire ad caelestem patriam. Hoc sit inter utrumque commercium, ut illius nobis proprietatem cum usu istius comparemus; ut sicut vita aeterna vitae istius praemium erit, ita laboremus ut illius ista sit pretium. Sicut evangelista ait, Magos admonitos in somnis ne redirent ad Herodem, sed per aliam viam ad regionem propriam remearent, hoc etiam nobis spiritualiter praecipitur, ut per aliam viam, idest per aliam conversationem revertamur ad patriam.

Forte aliquis dicat, quomodo id fieri potest? Qui hoc scire desiderat, audiat prophetam dicentem: diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et sequere eam. Hoc enim ordine per aliam viam reditur ad patriam. Quia per superbiam cecidimus in mundum, oportet ut per humilitatem redeamus ad paradisum: per cupiditatem ad servitium diaboli venimus, per misericor-

Digitized by Google

diam ad Christum dominum redeamus : per voluptatem atque luxuriam durissimum iugum diaboli sustinuimus , per caritatem atque iustitiam festinemus leve Christi iugum suscipere ; ut qui per vias infidelitatis atque nequitiae diabolo infeliciter servientes ab angelorum societate discessimus , per viam bonitatis , ac fidei studeamus redire ad principalem patriam. Si hoc ordine vias mortiferas relinquentes , vias vitae tenere voluerimus , de sinistra translati ad dexteram , Magorum itinera fideliter ac feliciter possumus imitari. Non sibi videtur per aliam viam ad patriam remeare, qui prius solebat res alienas tollere , et nunc suas coepit misericorditer erogare? Per aliam viam incedit , qui fuit adulter, et est castus ; qui fuit ebrius , et est sobrius ; qui solebat maledicere , et nunc benedicit ; qui fuit invidus , et est benignus (1). Si hoc ordine, Deo auxiliante, contendimus conversationum nostrarum itinera in melius commutare , ad aeternam beatitudinem poterimus feliciter pervenire ; praestante Domino nostro , qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

(1) Confer similes his sententias in sermone S. Hilarii arelatensis de epiphania apud Combefis. Bibl. conc. T. I. p. 577. Fortasse enim vel Faustinus prae oculis habuit Hilarium , vel Faustinum Hilarius.

Digitized by Google

EDITORIS MONITUM

DE ARNOBIO S. CYRILLI INTERPRETE.

Quum in bibliotheca vaticana duos vidissem Arnobii iunioris codices altercationis cum Serapione, alterum pervetustum saeculi XI, alterum vero recentem, sed ex vetustiore nescio quo exscriptum, movit me cupiditas paulo hos accuratius pervolutandi, quandoquidem mss. exemplaria arnobiani huius opusculi perrara esse sciebam. Atque haud scio, an ex quo Fevardentius anno 1595. id scriptum edidit, criticas postea philologorum curas expertum sit. Neque vero mea sedulitas frustra fuit. Nam praeter multas mss. praeclaras lectiones seu varietates, quibus editionem emendari posse cognovi, tractum comperi insignem, qui a Fevardentii codice aberat, ideoque in eius editione desideratur; quamquam reapse latina tantum verba Arnobii sunt, ipsum autem thema S. Cyrilli alexandrini est.

Nimirum in operis secundo libro (Cod. vat. reg. 238. f. 154. b. Confer Arnobii editionem in Bibliotheca Lugdun. PP. T. VIII. p. 225.) sic legitur. « Ut evidentius possim assertionibus Arnobii praebere consensum, integrum opusculum sancti Cyrilli tradat in vestro recitandum auditu etc. Ecce liber eius ex integro, si iubetis, recitandus offertur etc. Quia est prae manibus, liber sancti Cyrilli recitetur. Cumque fuisset codex apertus, recitatus est titulus sic « Incipit liber sancti Cyrilli alexandrinae ecclesiae episcopi, quem misit per totas Aegypti partes ad excludendam sectam nestorianam » Iam vero Fevardentii codex in illis verbis abrumpebatur titulus sic. *Cyrilli enim sermo universus ab eo qui codicem scripsit suppressus fuit. Quare Fevardentius in adnotationibus vanas cecinit divinationes de intercepto Cyrilli scripto, quod modo hoc, modo illud fuisse ariolatus est, quin tamen ad rei veritatem umquam devenerit, nempe ut de Cyrilli sermone XVII. inter paschales cogitaret, quos etiam epistolas nun-*

Digitized by Google

cupari, et vaticanus codex testatur, et iamdiu monuit Montfauconius in praefatione ad Cosmam indioopleustam cap. VI.

Dicet aliquis: cur tu notissimum Cyrilli sermonem, in Fevardentii et codice et editione omissum doles? Doleo sane, meritoque doleo, quia sic antiquam et perbonam cyrilliani scripti interpretationem amiseramus, nisi nunc codices vaticani eandem nobis restituerent; quam statim, ne rursus depereat, in litterarum lumine collocabo. Ita scilicet et lacunam in Arnobii altercatione repleo, ac veterem pervenustumque et classicum Cyrilli interpretem suscito. Etenim ei neoterico cyrilliani sermonis latino textui, qui in parisiaca sive aubertina editione prostat, arnobianus hic ob linguae dignitatem et auctoritatem quam sit praeferendus, nemo non videt. Sic ergo in vaticanis codicibus Cyrillum Arnobius facit loquentem.

CYRILLI BEATISSIMI EPISCOPI

ALEXANDRINAE URBIS AD TOTIUS AEGYPTI REGIONEM EPISTOLA PASCHALIS

ARNOBIO INTERPRETE.

1. Qui praeclaram atque eximiam, et sacris Dei legibus congruam vitam colere consuerunt, et in eo summa alacritate simul animositateque versari, nullo quidem omnino torpore pigritiae detinentur; impedimenta vero semper omnia rumpentes et moras, bonorum actuum incepta accuratissimo fine concludunt. Opinor tamen his admonitiones quoque necessarias praeceptoris, quae eos ad ardentiorem curam virtutis incendant; quemadmodum etiam luctatoribus vox est et hortatio necessaria monitoris instigantis eos ad patientiam, et ad palmae cupiditatem gloriamque vincendi paene etiam compellentis. Hac igitur causa et ipse in medium processi

Digitized by Google

studiorum bonorum sectatoribus cum psalmistae lyra consonaturus : viriliter agite , et confortetur cor vestrum , qui speratis in Domino. Sicut enim ipse alibi ait divinus David , tempus est faciendi Domino. Consentaneum ergo existimo ad vos exhortationis verba facere ; ita tamen , ut parum curetis , si rebus propositis minus digne loqui. videamur , et si nonnullorum eloquentiam aequiperare non possimus : atque illud magis debetis in animum sapienter inducere , multo esse rationabilius ad eas , quas parare et habere possumus epulas , amicos et benivolos invitare , quam inhumanam atque inhospitalem vitam sequi , reverentes ne aliorum liberalitati et divitiis impares esse dicamur. Quamquam mihi detur etiam ex alia causa confidere , illud scilicet reputanti; meminero enim Dei omnipotentis dicentis ad sapientissimum Moysen : quis dedit os homini , et quis fecit mutum et non audientem , videntem et non videntem ? nonne ego dominus Deus ? et nunc vade , ego aperiam os tuum.

2. Umbra quidem est quaedam et antiquum illud oraculum , et si per angelos prolatum sit , intercedente Moyse , acutiores tamen hominum non subterfugiet sensus , si quis id voluerit subtilibus mentis luminibus intueri, et scripturarum umbris et ambagibus praetermissis, intimam considerare sententiam. Praecipit itaque lex , Deum omnium dominum honorare et aliis quidem plurimis modis, adiiciebat autem necesse esse ei turturem etiam immolare , cum praesertim multi variique sint volucrum greges , quarum aliae volatus altissimos naturae lege sortitae sunt, aliae in aquis conversantur. Magnitudo vero et figura speciesque non una est. Alias autem alio modo natura depingit , et ar-

Digitized by Google

tificio creatoris in flores varios coloresque plumarum genus avium dilatatur. Quid ergo dicamus, quam ob causam lex volucribus aliis praetermissis, summis honoribus maluit turturem nominare, praecipiens eam Domino consecrandam? Quale est hoc aenigma, vel quam lex ista prudentiam comprobat? Verbum utpote verbi pater Deus omnipotens, et passerum loquaciores probabiles facit, et eas aliis anteponit, quamvis et in illis gratia sit et forma nonnulla. Lex ergo nobis oblique significat quod hii, quibus usus sit indultus eloquii, et qui possint bonorum operum amatoribus optima dare praecepta, sanctissimi sunt, aliis etiam praestantiores.

3. Age igitur Domini vineam sanctae scripturae fontibus irrigamus; non confusum neque obscurum sonum avium more emittentes, sed ad sollempnem festivitatem vos verbis competentibus provocantes; ita ut res ipsa rite inreprehensibiliterque celebretur, iuxta placitum legis. Ait enim divinus Lucas in suis scriptis: venit autem dies azymorum, in qua necesse erat immolari pascha; et misit Petrum et Iohannem dicens: euntes parate nobis pascha, ut manducemus. Illi autem dixerunt: ubi vis paremus? Qui ait eis: ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo aquae amphoram portans, sequimini eum domum, in quam intrat: et dicetis patrifamilias domus: dicit tibi magister, ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis manducem? Et ille vobis ostendet in superioribus locum magnum stratum, et ibi parate. Audis quemadmodum speculans oculis deitatis, ubinam esset dignum pascha celebrare, in superioribus locum eum dicit monstraturum sanctis apostolis magnum atque stratum; et ad id ducem sequi

Digitized by Google

amphorae aquae baiolum, qui eam domino domus inferret? Intende * igitur animum per subtiles sensus ad maiora et sensibilia. Et si cui propositum est ipsum habere in mente Christum festivitatis auctorem, aquae primum lavatione ditescat (1), abstergeat autem omne peccatum ab sua anima, et primorum aboleat sordes et maculas delictorum. Ita enim et Deus dicit per vocem Esaiae: lavamini, mundi estote, auferte nequitias vestras ab animis vestris e conspectu oculorum meorum, desinite a malitiis vestris, discite bonum facere, inquirite iudicium, eripite iniuriam accipientem, iudicate pupillo, et iustificate viduam, et venite disputemus, dicit Dominus; et si fuerint peccata vestra, ut phocnicium, ut nivem dealbabo; si autem ut coccum, ut lanam candidam efficiam.

* codd. *intellege.*

4. Ego enim existimo oportere nostris mentibus prius elui contagione totius pravitatis et sordis; deinde ita gloriosam atque praeclaram adhibere virtutem, quia nihil praestabilius aestimatur ab his, qui habent animi sanitatem, et qui iustum ab iniusto secernere didicerunt. Etenim sicut ea quae sunt natura repugnantia, simul in uno eodemque esse non possunt: quae enim communicatio luci ad tenebras, sicut scriptum est? neque potest alterum subsistere, nisi alteri dederit locum; simili modo virtus et malitia diversam habentes inter se contrariam in factis et operibus qualitatem, longissima autem a se differentia segregatae, in uno animo esse non possunt, quin eum deformem reddant, et varium, et tamquam utrisque pedibus claudicantem. Sed propheta quidem Helias eos, qui ita vivere consuerunt, obiurgat dicens: quousque enim claudicatis in

(1) Ex graeco καταπλουτεῦντι.

Digitized by Google

utroque pede? Nec non etiam lex ab huiusmodi moribus volens nos longissime submovere, praecepit nobis oblique ea recusare et effugere, quae incongrua sunt, et inter se convenire non possunt. Ait enim: non arabis in bove et asino. Et rursus: non indueris fucato indumento ex lana et lino simul. Considera quemadmodum ea, quae disparia sunt et apte honesteque misceri et coniungi non possunt, debere nos adfirmet odisse, et coniunctionem dissimilium aspernari. Convenit enim eos, qui optime vitam agere proposuerunt, carere omni macula, detersis, ut ante dixi, sordibus pravitatis; ut sic mundi effecti nitidique locum possint in superioribus obtinere, et tamquam in altissimo caenaculo per meritâ suae virtutis celebrare festa cum Christo, qui propter nos pauper factus est, cum sit dives, ut nos paupertate ipsius locupletemur.

5. Nam cum sit figura ipse et forma Dei patris filius, lumen gloriae, et ex eo vere naturaliterque progenitus, et ex omni parte omnino par similisque, aequaevus atque coaeternus, eiusdem gloriae atque fastigii, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, iuxta quod scriptum est. Decendit enim in terras, et inanitatem subiit voluntariam; et, ut ait sapientissimus Iohannes, caro factus est, et habitavit in nobis: et qui ante omnia secula generationem habebat ex patre, quam nulla mens nulla cogitatio capere potest; postquam factus est caro, et humanam sustinuit generationem, dispensator et artifex saeculorum et factor, non (1) ad temporis quaedam productus initia hominum more, vocem tamen patris dicentis audivit: ego hodie genui te.

(1) Ita codex antiquus. Legebat ergo in Cyrillo Arnobius non *ὡς veluti*, sed *οὐκ non*. Confer infra p. 109.

Digitized by Google

Numquid ergo idcirco eum putabimus aeternitatis gloriam perdidisse? minime. Illud autem magis sapienter intellegimus, quod etiam incarnatum filium pater non privet suae dignitatis naturalibus ornamentis ; confiteatur autem eum rursus tamen, etsi in habitu cernatur humano. Non enim ideo factus est homo unigenitus Dei verbum, ut Deus esse cessaret, sed ut in assumptione etiam carnis , propriae maiestatis gloriam intueremur. Sic enim et nos sumus paupertate ipsius locupletes effecti , sublata per eum natura humana in divinam quandam dignitatem , et in supernis sedibus collocata. Nam cum ipse haberet semper cum patre consessum , et ex ipso et in ipso naturaliter esset, tamen etiam in carne positus audiebat patrem dicentem : sede ad dexteram meam , donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ita eum confitemur tam a nobis oportere quam ab angelis adorari ; non in hominem vilem per dementiam deponentes , sed divinam secuti scripturam, Dei verbum cum conditione copulantes humana , et mortalem divinamque naturam in unum aliquid conferentes : ita tamen ut non homo simpliciter theophoros intellegatur , sed Deus magis incarnatus , qui per dispensationem copulationis corpus sibi ex virgine sancta adscivit.

6. Hoc enim modo nec aliter intellegitur Christus unus , et Deus unus : non iam partim in Deum , partim in hominem discernendus , post arcanam illam ineffabilemque communionem ; sed in unum filium accipiendus , quamvis diversa sit eorum natura , quae in eo postea concurrerunt. Quemadmodum enim in gemmis et lapidibus pretiosis aurum quoddam resplendet , et lumen quod interioris naturae declarat imaginem ;

Digitized by Google

ac si quis voluerit verbi causa commixtionem illam seiungere naturalem, aliud nescio quid conspiciat ipsum per se lapidem, aliud vero lumen quod natat in lapide; una tamen atque indiscreta materies intellegitur ex duobus, et divisio huiusmodi ad foeditatem dedecusque convertet ea, quae naturali unitate conexa sunt; eodem modo in Christo adserimus quod coierunt arcana quadam ineffabilique ratione in unum deitas et humana conditio, ut in eodem simul et homo intellegatur iuxta nos, et Deus supra nos. Ac sic unigenitus et primogenitus editus est quidem ex utero virginali, et erat adhuc parvulus, Deum tamen et in infantia sapiebat. Testatur autem hoc idem divinus Esaias dicens de ipso: quoniam prius quam sciat puer bonum aut malum, non credet malitiae, sed elegit quod bonum est. Quantum enim exspectat ad mortalitatis rationem secundum nostram naturam, nondum ei tempus indulgebat, ut sciret et posset rerum discernere qualitatem; sed erat, ut ante dixi, Deus etiam in forma mortali, permittens quidem nostrae naturae per suum morem legemque procedere, reservans tamen cum ea sinceram gloriam deitatis. Sic ergo intellegatur et natura Deus, qui natus est; et virgo, quae peperit, mater fuisse dicatur non carnis neque sanguinis simpliciter, qualiter etiam nostrae matres; sed Dei magis et domini, qui humanae formae similitudinem est dignatus induere.

7. Nam sicut divinus scripsit Paulus: misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Non enim in homine nato ex muliere inquimus Dei verbum inhabitasse, quemadmodum etiam in prophetis; sed magis vocem sanctissimi Iohannis recto suffragio coronemus, clare perspicueque momorantis: et verbum ca-

Digitized by Google

ro factum est, et habitabit in nobis. Factum autem carnem existimabimus tunc, cum carni communicasset et sanguini, similiter ut nos qui sumus in carne et sanguine. Et si factus est est iuxta nos, quomodo consequens erat humanam eum generationem ignominia adficere, ac non potius honorare? Habitavit enim in nobis, cum carne et sanguine, suam naturam divino modo inaestimabilique ratione quasi commiscens. Ipsa quidem Verbi deitas si intellegatur, sola ipsa per se suffiicentem habet generationem ex Deo et patre: sed quoniam descendit in copulationem nostri, et secum humanam naturam permiscuit, omnia iuxta suum modum habentem perfecta, ideo sine ulla nota et deminutione deitatis intellegatur facta similis nostri; non ad initia quaedam producta, ut esse inciperet, absit; erat enim semper, et est, et erit, et vetustiorem omni tempore tenet substantiam; sed sapienter mortalitatis legibus per sua iura procedere permittens. Nam sicut ipsius verbi, quod est ex Deo et patre, fuit propria caro illa pura atque honorabilis, quae ex sancta virgine procreata est; ita omnia, quae carni conveniunt, absque solo peccato, caro subire debuit, et ante omnia ut nasceretur ex matre.

8. Ergo si extra carnem intellegatur deitas ipsa per se, erit sine matre; et recte quidem. Sed si proferamus in medium mysterium secundum Christum, alia erit de eo ratio tenuis sane atque subtilis: arbitrabimur enim, si recte sapere voluerimus, et semitam sine errore calcare, non deitatem nudam, sed incarnatum et carne permixtum Dei patris verbum sanctam virginem creavisse; quae electa est ad puerperium venerandum, ut carnaliter eum pareret qui

Digitized by Google

carnem dignatus est induere. Deus ergo verus Emmanuel, et mater Dei virgo dicatur, quae carnaliter eum peperit, qui propter nos homo factus est: et infans erat non iuxta nos, hoc est, non in sola nostri similitudine constitutus; sed erat humana conditione propter carnem, divinus autem, utpote supra nos, et caelestis. Denique sapientissimus Paulus inquit: primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis. At vero beatissimus Esaias, ut in visione prophetali vim mysterii docebatur; ipsum enim, ait, se vidisse Deum omnium dominum in sanctam Virginem divini infantis prope exordia iacientem. Et figurata quidem est humano modo ratio visionis, verum aliter intellegitur et divine; nomen enim maius est quam nos. Itaque ait: et dixit Dominus ad me: accipe tomum magnum novum, et scribe in eo stilo hominis, ut velociter depraedationem faciat spoliorum. Ait enim: et testes mihi fac fideles homines, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachi. Et accessit ad prophetissam, et in utero accepit, ac peperit filium. Et dixit Dominus ad me: voca nomen eius velociter spolia detrahe, cito praedare, quia prius quam sciat puer vocare patrem et matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariae contra regem Assyriorum. Novus quidem tomus et magnus, quoniam et ipsum novum Christi mysterium, et perspicue magnum, iuxta beati Pauli vocem. Ceterum stilo hominis scribitur. Et ipsa quidem ratio deitatis, si nuda ac sine carne aestimetur ipsa per se, nostri sermonis non egebit auxilio; quippe qui non valeat explicare ea quae sunt omni eloquentia, sensu etiam altiora. Gloria enim Domini occultat sermonem, iuxta quod scriptum est. Sed quoniam unigeni-

Digitized by Google

tum Dei verbum factum est caro, et habitavit in nobis, ideo ea quae ad ipsum referuntur, hominis stilo describimus.

9. Ceterum illud rursum inspiciamus, quod cum praecepisset prophetae Deus tomum accipere, et humano stilo in eo scribere, accessit ad prophetissam. Et quid est hoc ipsum accessit? Morem conventionis simulabat et legem. Prophetissam vero sanctam virginem vocat: Christum enim praegnans prophetae implevit officium. Deinde in utero, inquit, accepit, et peperit filium: cui rursum non tanquam homini speciale et proprium nomen imposuit, sed ex virtutibus ipsius, utpote Deo. Voca enim, inquit, nomen eius, velociter spolia detrahe, cito praedare. Natus est enim continuo infans ille divinus et omni mundo excellentior. Et erat quidem in cunabulo gremioque genetricis, propter morem conditionis humanae; sed quoniam ad haec erat etiam Deus, arma Satanae virtutibus detrahebat arcanis. Advenerunt enim Magi de oriente quaerentes ipsum et dicentes: ubi est rex Iudaeorum? vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus ut adoremus eum. Ergo divina quidem illa generatio, etsi propter conditionem hominum, more agebatur humano. Deus vero vere et naturaliter Emmanuel, qui videbatur more hominum quidem contineri, attamen divino modo caelum et terras, inferiora etiam, suae maiestatis utpote Deus implebat, et continebat omnia quae per ipsum bene fuerant constituta. Et si audieris quod proficiebat aetate et sapientia, numquam arbitreris processu vel incremento aliquo sapiens factum esse Dei verbum. Memineris enim sapientissimi Pauli scribentis: Christus Dei virtus et Dei sapientia. Sed nec illud audeas

Digitized by Google

proterve dicere, quod hoc ipsum quod dicitur profecisse aetate et sapientia et gratia, homini adscribendum sit : hoc enim est, ut opinor, unum Christum in duo dividere ; sed quemadmodum paulo ante diximus, filius ante tempora omnia natus, extremis tamen temporibus dicitur filius Dei fuisse ; ideoque suae carnis generationem, dispensatorie familiarem et propriam esse dicebat. Itaque cum sit sui sapientia genitoris, proficere sapientia dicitur Deus in omnibus perfectissimus, ideo quod ea quae sunt propria conditionis humanae propter incarnationem voluntate suscepit.

10. Dicet aliquis, quomodo potuerit hominis natura maiestatem capere deitatis ? praesertim cum Deus ipse dixerit manifeste beatissimo Moysi : quoniam nemo videbit faciem meam, et vivet. Si igitur intolerabilis deitas, et inacessibilem habet adtactum, quomodo credibile videatur Deum in unum et hominem convenisse ? Ego vero adversus huiusmodi quaestionem dixerim quidem, supra omnem modum et genus miraculi, et supra nostrae mentis cogitationem et sensum dispensationis huius esse rationem : sed tamen agebatur sapienter, Deo suam naturam etiam imbecillitati nostrae tolerabilem faciente. Itaque hoc praeclarum et venerabile nostrum mysterium creator omnium Deus et dominus sapientissimo Moysi per exempla perspicua demonstrabat. Id autem ipsae sacrae litterae nobis aperient, quae se ita habent. " Moyses autem pascebat oves Iethro so-
„ ceri sui sacerdotis Madian, et egit oves in ere-
„ mum, et venit in montem Horeb. Apparuit autem illi
„ angelus Domini in flamma ignis de rubo, et vidit
„ quia rubus arderet igni, rubus vero non conbureba-
„ tur. Dixit autem Moyses : transiens videbo visum

Digitized by Google

„ magnum istud quid sit, quoniam non comburitur „ rubus. Cum ergo vidisset Dominus, quia ascendit vi- „ dere, vocavit de rubo dicens: Moyse, Moyse. Ad „ quem ille dixit: quid est? Dixit illi Deus: ne acces- „ seris huc, solve calciamentum de pedibus tuis; lo- „ cus enim in quo stas, terra sancta est. Et dixit illi: „ ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus „ Isaac, et Deus Iacob. „ Inaccessibilem quidem locum esse testatur etiam ipsi sapientissimo Moysi, illud scilicet declarans, quod si quis mera legis doctrina, et exemplis umbrarum solis velit esse contentus, numquam Christum possit attingere: lex enim nihil implevit. Ceterum illud dignum est admirari; flamma, quae apparebat in rubo, vocem emittebat dicens: ego sum Deus Abraham patris tui. Ergo ipse erat Dominus in specie flammae, comprehendens quidem et comburens arborem; flamma tamen eam minime comburens. Atquin hoc omnem fidem videtur excedere, quod ignis tenacis violentissimam naturam levis illa fragilisque materies non curabat: immo potius quis non flammae illius lenitatem mansuetudinemque admiretur, videns eam ligno parcentem? Sed erat, ut iam ante dixi, umbra quaedam exempli secundum Christum mysterii.

11. Quemadmodum igitur flamma illa fructici fuit tolerabilis, ita etiam nostra natura capax esse potuit eminentiae deitatis. Et quantum spectat ad rationes et sensus humanos, nequaquam inter se possent convenire deitas et humana conditio; convenerunt tamen in Christo, et unus ex ambobus Emmanuhel. Qui vero separat, et hominem seorsum ponit, et filium alium aestimat, praeter eum qui est Dei patris filius naturalis, is

Digitized by Google

mihi videtur altitudinem nostri mysterii diligenter intellegere et videre non posse. Neque enim hominem colimus et adoramus, sanctorum secuti doctrinam; sed Deum magis incarnatum, qui suum corpus et Dei patris verbum in unum coniunxit et contulit. Ideoque rursum et regem supra nos ipsum Emmanuhel inquimus constitutum. Deus enim et pater prophetarum voce et declarationem designat eius et sanctorum apostolorum dicens: ecce rex iustus regnabit, et principes cum iudicio principabunt. Ipse vero ait per vocem David: ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem, et reliqua. Nec non etiam regni sui iugum nobis subire iubebat, adiciens manifeste: venite ad me omnes qui laboratis, et reliqua usque leve. Quod si est rex dumtaxat, et homo merus, et nostri similis intellegitur, et non magis unigenitum Dei verbum cum natura nostra convenerit, ergo nec nostra saecula praeantiquis plus aliquid meruerunt, quae inquimus nova effecta et pristinis inconparabiliter meliora, in quibus etiam Christus regnavit. Est autem tale quod dico: regnavit quidem super populum Israël Deus dominus omnium per prophetas: constitutus autem est ad tale officium ante alios omnes sanctus Moyses: deinde post illum alii serie temporum ordinati sunt. Gerente vero dispensationis curam divino Samuhele, ad contumaciam flagitiosam lapsus Israël, et a regno Dei inpatienter volens deficere, dicebat: ecce tu senuisti. Indignabatur quidem huius causa propheta. Dixit autem Dominus ad eum: audi vocem populi, iuxta quae locuntur ad te: quoniam non te spreverunt, sed me spreverunt, ut non regnem super ipsos. Itaque ordinabatur Saul, de quo ait per prophetam Deus: et dedi eis regem in

Digitized by Google

ira mea. Est igitur nemini dubium, quod in ira datus sit homo rex Saul illis, qui Dei regnum sceleratissime spreverunt. Multum enim praestabilius est nos esse regni Dei servitio subiugatos.

12. Quod si est homo nostri similis Christus, et non in forma hominis visum Dei verbum; constat autem eum regem datum esse, et terrarum omnium regnum tenuisse; potest aliquis ad deleramenta et ineptias praecipitatus dicere, quod et ipse regnavit in ira Dei et patris: et quia sumus in offensionibus et delictis, ideo et nos Deus humano iugo submiserit. Sed quis hoc possit umquam dubitare, nos omni culpa liberatos esse per fidem? Quomodo igitur adhuc Deus irascitur? vel quare nos indignationis motibus punit, qui sumus sanctificati? Ego vero aio, nos et omni culpa esse liberatos, et donis divinae clementiae et mansuetudinis habundare. Igitur non homo regnavit super nos, sed Deus in humana forma visus, filius, qui nec gloria dignitatis suae per incarnationem privatus est, nec propter dispensationem nostri similitudinem aspernatus. Deinde, id enim quoque dicendum est, si quorumdam caecum criminamur errorem, et sunt illi in vituperatione maxima constituti, quod aeterni et incorruptibilis Dei gloriam mutaverint in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Et nobismet ipsis hoc censeo fugiendum, ne in sola et nuda similitudine nostrae naturae Christum esse credamus; sed magis individuam atque inseparabilem copulationem humanae carnis et Dei verbi servemus; ut iam utpote Deus tam a nobis quam a sanctis angelis adoretur. Et si est admodum criminosum atque culpabile praeter creatorem creaturae servire, nos autem Christo sumus eruditi servire, aestimemus eum

Digitized by Google

omni creatura esse superiorem ; immo ipsum creatorem potius, licet ipse propter incarnationem creatus esse credatur. Hac de re gloriam roborans clamabat incredulis, paene etiam stoliditatem eis et segnitiem exprobrans : si non facio opera patris mei, ne credatis mihi : si autem facio, etsi mihi non creditis, operibus meis credite. Erant enim qui sua dementia parvam de eo fidem habebant propter carnem. Exsurgentes autem in eum proterve, et canino more incurrentes causantesque ex-
* ita cod. occasiones * in peccatis, incusanti ei dicebant : pro bono opere non lapidamus te, sed pro blasphemia ; quod, cum sis homo, facis te Deum. At nos illorum incredulitatem et dementiam execrati, prolixis eum uberibusque benedictionibus adoremus, et pharisaeorum scaevitate damnata dicamus ei : pro bono te opere stupore maximo admiramur, quod cum sis Deus, homo fieri dignatus es.

13. Et quam ob causam homo sit factus exponam. Etenim quoniam est Dei verbum naturaliter vita, ideo proprium fecit corpus corruptibile et caducum, ut mortalitate victa atque damnata, ad aeternitatem potius transformetur. Et quemadmodum ferri materies cum in medio fornacis aestu conflatur, ignis instar ardescit, et in eius speciem vertitur, et calorem et candorem ipsius imitatur flammae victricis ; ita etiam carnis natura cum aeterno atque incorruptibili Dei verbo coniuncta, destitit esse quod fuerat, nec ulterius remansit
* gr. φθορᾷ. in peste*. Et quoniam ipse est lumen mundi, ideo recta atque vera deitatis recognitione atque scientia mentes nostras illuminans, universos vocabat ad lucem ; partim cum doctrinis venerabilibus uteretur, quibus eos sapientissimos faciebat, qui ad eum accedebant in fi-

Digitized by Google

dem ; partim cum virtutes operaretur eximias, quas supra omnem credulitatem aspectibus ostendebat. Ut iam dubitare nemo possit ; quia cum per naturam Deus homo factus est, remansit tamen id quod erat, licet dispensatorie speciem humanae conditionis induerit. Sed non intellegentes Iudaei mysterium, et quamvis et per legem et per sanctos prophetas eis saepe perspicue fuerat denuntiatum, audebant eum multis modis offendere. Sed et cum cognoverunt quod ipse esset heres et dominus, nihilominus eiecerunt et interfecerunt : habentes ad tantum nefas et facinus adiutorem atque socium Satanam, culpae deterrimum genitorem; qui gratulatus est quidem a principio omni se fuisse molestia liberatum, cum eum talia pati conspiceret : mox vero cum his qui eum crucifixerunt, se conperit erravisse, et vana spe fuisse raptatum ; cum cognoverit, passionem illam fuisse voluntariam, et quod ipse posuerit animam suam, non alicuius inpulsu aut violentia, sed propria potius voluntate : ut illis, qui tenebris cohercentur infernis, denuntiaret, et eis portas reseraret ad vitam. Ut enim ad nos scribit sapientissimus Paulus : ideo Christus mortuus est et revixit, ut vivis et mortuis dominetur. Nam postquam mortuos tenebris exemit, et conculcavit mortis imperium, revixitque tertia die, et só sanctis apostolis obtulit, praecipiens eis, docere omnes gentes, et eos baptizare in nomine patris, et filii, et spiritus sancti ; tunc ascendit in caelum, et est ad dexteram Dei et patris, venietque in tempore iudex omnium, in virtute divina simul et gloria, stipantibus sanctis angelis : resedebit autem in solio gloriae suae indicaturus orbem

Digitized by Google

terrarum in aequitate et iustitia, et singulis iuxta sua merita redditurus.

14. Quoniam ergo ipsius sumus pretio comparati, nec sumus nostrae ditionis aut iuris, serviamus redemptori, in bonis partibus, quantum possumus operantes, carnis cupiditates conterentes, discutientes omne contagium delictorum, omni nos virtute et modestia decorantes: bonum certamen certemus, cursum consummemus, fidem servemus, egenorum miserias relevantes, pupillorum consolantes inopiam, viduis succurrentes, refectionis solatia infirmis ac debilibus offerentes, in carceribus et in vinculis positos visitantes, humani et misericordes in omnibus, amore nos mutuo vinciamus. Tunc enim, tunc sincere ieiunantes sanctimoniis copulamur, habentes quadragesimae exordium a primo die mensis, qui secundum Aegyptios dicitur famenoth; hebdomadis vero paschae venerabilis a sexta mensis farmoth; ita ut finiamus ieiunia, iuxta evangelicas traditiones, undecima mensis eiusdem intempesta nocte sabbato; postera die dominicam festivitatem celebrantes ·XII· eiusdem mensis, continuantes iugiter etiam ·VII· hebdomadas sanctae quinquagesimae. Sic enim regni caelorum heredes esse merebimur in Christo Iesu domino nostro; per quem, et cum quo Deo patri cum spiritu sancto gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen. Salutate invicem in osculo sancto: salutant vos qui mecum sunt fratres. Pax vobiscum.

Digitized by Google

S. CYRILLI ALEXANDRINI

SERMO DE PARABOLA VINEAE

NONDUM GRAECE EDITUS.

S. Cyrilli alexandrini patriarchae sermonem de parabola vineae edidit latine ex codice suo graeco Achilles Statius lusitanus in libello Romae anno 1578. impresso, quem Gregorio XIII. P. M. obsequii causa inscripsit. Graecum textum praetermisit, ut tunc saepe fiebat, quo fere tempore etiam Caes. Baronius et Fr. Turrianus tot graecae ecclesiae monumenta latine tantum imprimenda curarunt. Nunc ego graecum sermonis eius archetypum, ex eodem ut credere par est Achillis codice demum profero: quem tamen codicem ne unicum in orbe putemus, legitur apud Fabricium Bibl. gr. ed. nov. T. IX. p. 465, duo extare Parisiis graeca item huius sermonis exemplaria, quamquam nondum typis commissa.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΚΥΡΙΛΛΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ

εἰς τὴν παραβολὴν τοῦ ἀμπελῶνος· ὁμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐξῆλθεν ἅμα πρωὶ μισθώσασθαι ἐργάτας εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ.

Ἤκουσας, ἀγαπητὲ, τῆς εὐαγγελικῆς τοῦ κυρίου παραβολῆς· ἄκουε καὶ τὴν ἑρμηνείαν, ἣν κατὰ δύναμιν ἐροῦμεν· οἰκοδεσπότης τοῦ μεγάλου οἴκου, τουτέστιν ὁ δεσπότης θεός· οἶκος γὰρ, ὁ κόσμος· δεσπότης δὲ αὐτοῦ, ὁ

Digitized by Google

κτίσας αὐτὸν Θεός· ἀμπελὼν αὐτοῦ, ἡ ἀνθρωπεία φύσις· ἐργάται τοῦ ἀμπελῶνος, ὅσοι διακονούμενοι τῇ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων ἅγιοι· πρώτη ὥρα ὁ καιρὸς τῶν Θεοσεβῶν ἐκείνων τῶν περὶ Ἄβελ καὶ Ἐνὼχ καὶ Νῶε· πρῶτοι γὰρ οὗτοι Θεοσεβεῖς, πρῶτοι οὗτοι ἐργάται τοῦ ἀμπελῶνος. Νῶε γὰρ ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα, νοητῶς νόει· πνευματικοὶ γὰρ οἱ λόγοι· ἕως τρίτης ὥρας οὗτοι εἰργάζοντο· μετὰ τρίτην ὥραν ὁ καιρὸς τῶν περὶ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ· καὶ οὗτοι γὰρ ἐργάται τῆς σωτηρίας ἡμῶν, τρεῖς τὸν ἀριθμόν· διὰ τοῦτο καὶ ἕως ἕκτης ὥρας εἰργάσαντο· ἀπὸ ἕκτης ὥρας τὸ μεσέτατον τῆς ἡμέρας, ὅτε ὁ ἥλιος σφοδρότερον καταλάμπει τὴν οἰκουμένην, ὁ χρόνος τοῦ νόμου· ὅτι τῷ ὄντι ἐφώτισεν τὴν ἀνθρωπότητα διὰ τῶν ἐντολῶν τοῦ νόμου τὸ ἀληθινὸν φῶς ὁ Θεὸς ἡμῶν· ἡ ἐντολὴ γὰρ κυρίου τηλαυγὴς φωτίζουσα ὀφθαλμούς· καὶ πάλιν, ὅτι φῶς τὰ προσάγματά σου.

Ἀπὸ ἕκτης ὥρας, τὸ ἥμισυ τῆς ἡμέρας· ὅτε γὰρ ἐμέσασαν οἱ χρόνοι οἱ ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, καὶ ἕως συντελείας, τότε μεσεμβρινὸν ἀπεστάλη Μωϋσῆς καὶ Ἀαρών· καὶ γὰρ ἡ κατὰ νόμον λατρεία, ἕως ὀγδόης· ἐννάτη δὲ ὥρα, καιρὸς τῶν πνευματοφόρων προφητῶν· καὶ γὰρ αὐτοὶ ὡς καλοὶ ἐργάται ἀπεστάλησαν παρὰ τοῦ οἰκοδεσπότου ἐργάσασθαι τὸν ἀμπελῶνα τῆς ψυχῆς ἡμῶν ἕως δεκάτης· ἑνδεκάτη ὥρα, ἐπιδημία τοῦ μονογενοῦς· ἐπ' ἐσχάτων γὰρ τῶν χρόνων ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων ἐπεδήμησεν ἡμῖν ὁ τοῦ Θεοῦ υἱός, Θεοῦ λόγος· ὥσπερ γὰρ ἀπὸ ἑνδεκάτης εἰς δωδεκάτην ἄλλη μία ὥρα ἐστὶν ἡ ἐσχάτη, οὕτως ἀπὸ τῆς ἐπιδημίας Χριστοῦ ἕως τῆς συντελείας, ἄλλη μία ὥρα

Digitized by Google

ἐστίν· ἄκουσον τοῦ Ἰωάννου λέγοντος· τεκνία, ἐσχάτη ὥρα ἐστίν.

Ὁρᾷς ὅτι τῇ ἑνδεκάτῃ ἐξελθὼν ὁ τοῦ ἀμπελῶνος δεσπότης, εὑρὼν ἀργοὺς ἐμισθώσατο· τίνες οὗτοι οἱ ἀργοί; ἡμεῖς οἱ ἀπὸ τῶν ἐθνῶν· ἀργοὶ γὰρ ἦμεν ἀπὸ θεογνωσίας, ἀργοὶ ἀπὸ ἔργων ἀγαθῶν· καὶ λέγει αὐτοῖς τί ἑστήκατε ὧδε ὅλην τὴν ἡμέραν ἀργοί; ὅλην τὴν ἡμέραν ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως κόσμου, ἕως τῆς ἐπιδημίας αὐτοῦ χρόνον ἐσήμανεν· ἕως γὰρ τότε ἀργὰ ἦν τὰ ἔθνη, θεὸν μὴ εἰδότα· οὐδεὶς γάρ, φασιν, ἡμᾶς ἐμισθώσατο· εὐγνώμονα τὰ ἔθνη· τῷ γὰρ οὐδεὶς αὐτὰ ἐμισθώσατο, οὐ νόμος οὐ προφῆται· τῷ Ἰσραὴλ ἐκεῖνοι ἀπεστάλησαν, οὐ τοῖς ἔθνεσιν· διὸ καλῶς λέγουσιν ὅτι οὐδεὶς ἡμᾶς ἐμισθώσατο.

Ἀλλὰ ἀγαθὸς οἰκοδεσπότης· ὑπάγετε γὰρ καὶ ὑμεῖς, φησὶν, ἐργάσασθαι ἐν τῷ ἀμπελῶνι, καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον, δώσω ὑμῖν· οἱ ἀργοὶ, τότε ἐργάται γεγόνασιν· ἐργάζεται γὰρ νῦν ἡ ὡστὲ ἀργὴ αὕτη ἐκκλησία· ἐργάζεται ὁ χορὸς τῶν ἀποστόλων, τῶν μαρτύρων, τῶν ἀσκητῶν, τῶν μοναζόντων, τῶν ἁγίων παρθένων, τῶν ἐγκρατῶν, τῶν ἐν γάμῳ σεμνῷ· ἔλαβεν γὰρ αὕτη ἡ ἐκκλησία τὸ ἓν δηνάριον ἀξίως· δύναται γάρ τις ὀξέως ἐργαζόμενος, ἐν μιᾷ ὥρᾳ ἐνέγκαι ἔργον ὡς ἀπὸ πρωΐθεν ἐργαζόμενος· ὁ λῃστὴς εἰς μίαν ὥραν ἤκουσεν τὸ σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ.

Ἀλλ' ἄκουσον τί φασὶν ἐκεῖνοι· ἡμεῖς οἱ βαστάσαντες τὸ βάρος καὶ τὸν καύσωνα τῆς ἡμέρας· ἀληθεύουσιν· οὐ γὰρ ἐν νόμῳ ἐβάστασαν τὸ βάρος τοῦ ζυγοῦ τοῦ νόμου, ἀλλ' ἐγένοντο καὶ οὗτοι ἴσοι τούτων διὰ τὸ ἔργον· ἑταῖρε, γάρ, φησιν, οὐκ ἀδικῶ σε· οὐκ ἀδικεῖ ὁ τῆς δικαιοσύνης κρι-

Digitized by Google

τὴς· τὸ δὲ θέλω τούτῳ χαρίσασθαι ὡς καὶ σοὶ, μὴ νομίσῃς προσωποληψίαν εἶναι, μηδὲ κατὰ χάριν διδόσθαι τὸν μισθὸν, ἀλλ' οὕτω νόει· ἐπειδὴ οἷως ἂν ποιήσωμεν, οἵως ἂν ἐργασώμεθα, ἄξιον οὐδὲν ποιοῦμεν· πᾶσα γὰρ δικαιοσύνη ἀνθρώπου ὡς ῥακὸς ἀποκαθημένης· χάριν τὸ ὅλον ὠφάμασεν, ὡς λέγει Παῦλος, δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, καὶ οὐκ ἐξ ἔργων, ἵνα μή τις καυχήσηται· θεοῦ τὸ δῶρον, οὐχ ὅτι οὐκ ἐργαζόμεθα, ἀλλ' ὅτι κατ' ἀξίαν οὐδὲν ποιοῦμεν· ὅτ' ἂν γάρ, φησι, ποιήσητε ταῦτα πάντα, εἴπατε ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοι ἐσμὲν· ὃ ὠφείλαμεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν· ἀμέλει γοῦν ἄρτον τῷ πένητι παρέχεις, καὶ βασιλείαν οὐρανῶν κληρονομεῖς· ὁρᾷς τὸ, Θέλω χαρίσασθαι.

Τὸ δὲ, μὴ εἰ ῥφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ἐγὼ ἀγαθός εἰμι· μὴ εἶπεν, ὅτι πονηροὶ οἱ ἅγιοι, ἀλλὰ μή τι πονηρόί ἐστε, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι; ἀληθῶς γὰρ ἀγαθὸς ἐξ ἀγαθοῦ· οὐ κατὰ τὸ ἔργον καὶ ὁ μισθὸς· ὀλίγον γὰρ τὸ ἔργον, πολὺς δὲ ὁ μισθὸς· ποτήριον ὕδατος ἐπότισας διψῶντα, καὶ ἀπολαμβάνεις ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, οὐδὲ οὖς οὐκ ἤκουσεν· ὁρᾷς ὅτι ἀγαθός ἐστιν· τὸ δὲ ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων, ἐπειδὴ ἔσονται οἱ πρῶτοι ἔσχατοι· καὶ καλέσω τὸν λαόν μου, λαόν μου· καὶ πάλιν, ὅταν τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ, τότε καὶ πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

Digitized by Google

Petrus diaconus in libello de viris illustribus casinensibus cap. VI. haec habet. « Laurentius casinensis coenobii monachus, scientia antecessorum suorum post sanctissimum Benedictum nulli inferior, factus episcopus etc. sermonem de beati Benedicti vigilia elegantem composuit.» Sedem Laurentii episcopalem casinensia monumenta non designant; ipsum tamen circa annum Christi 950. floruisse tradit Marus in adnotationibus ad Petrum diaconum. Hunc igitur ego sermonem ex codice vat. 1202, olim casinensi, langobardicis litteris scripto et mire picto libenter profero.

DOMNI LAURENTII EPISCOPI

SERMO

IN VIGILIIS SANCTI PATRIS BENEDICTI.

Almifici patris nostri Benedicti, o venerabillima concio, celebraturi sollemnia, cunctipotentis Dei qui perfectionis culmen ei scandere concessit, supplices flagitemus clementiam; quatinus mens nostra vitiorum emundata rubigine, sic sui patroni devote praestoletur adventum, ut eius praesentiam laetabunda mereatur amplecti. Nullatenus siquidem dubitandum est, hunc sacratissimum patronum adesse nobis praesentem, cum eius gloriosam festivitatem devotionis colere studemus affectu. Et quidem cum omni tempore observantes almifica sua mandata pietate solita dignetur invisere, munireque non desinat, in hac tamen sua sanctissima sollemnitate speciali quadam humanitate suis interesse dignabitur famellis; qui utique specialius solitoque more devotius omni industria sua student praecordia comere ad tantum patrem excipiendum. Siquidem illius eum capitis constat esse potissimum membrum, qui evange-

Digitized by Google

lica intonans voce dicere est dignatus : ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic et ego in medio eorum ero. Si ergo caput Christus, videlicet nobis in suo nomine congregatis adesse dignatur, eius utique membra nullatenus absunt. Si autem ei membra, electi scilicet omnes generaliter assunt, quanto magis gloriosissimus patronus noster Benedictus eius adhaerens suos fovet clientes, eorumque precamina, votaque salubria studet apud eumdem altithronum commendare? Quem utique tanto facilius nostram impetrare salutem ab eodem Deo et domino nostro haud dubie credimus, quanto post beatos et sanctos apostolos prae cunctis paene terrigenis, et meritorum gloria sublimatus, et miraculorum ingentium efficaciis eminentius exaltatus est. Denique meritorum eius insignia sic humanis omnimodo admiranda sunt sensibus, ut eorum modulum nimis excellere videantur.

Puerili namque sub aevo sancti flaminis gratia potitus, ita senili factus est sapientia, ut relictis paternis opibus, spretaque pompa humana, quam quidam liberalibus maxime artibus studentes assequi tunc conabantur, postremo nutricis sibi obsequentis spreto solamine, arduum peteret institutum. Callem quoque perdifficilem, tantum suis effecit sequacibus exemplo operum doctrinaque melliflua facilem, ut herilis vox passim experiatur, qua dicitur : iugum quidem meum suave est, et onus meum leve. Nam cuius doctrina effatuque mirifico, immo praecipuo exemplo tanta monachorum phalanx divinis se mancipavit praeceptis, nisi eius, qui Deo praesule, ea quae luculenter et suaviter docuit, opere efficaciter adimplevit? Quam dignanter autem Deus eius approbaverit famulatum, hinc liquido claret, quod eum, quem mul-

Digitized by Google

tis in exemplo vitae proponere destinaverat, in cavernis montium diu latitare nequaquam permisit. Ut enim in eius vita legitur, quam beatus Gregorius dulciter edidit, et primo cuidam presbytero refectionem sibi in paschali sollemnitate praeparanti praecipere dignatus est, ut suum devotissimum famulum in scopulorum abruptis media confectum inviseret, et postmodum subulcis et aliis quamplurimis eum voluit manifestari. Digno procul dubio sanctoque indicio, quatinus tam emicans virtutum exemplis lucerna, tamque praenitens signorum efficacia gemma, diu sub latibuli modio non esset occulta.

Porro quanta sit eum comitata prodigiorum efficacia, nullum scire diffido, cum utique tam sint insignia, ut post sanctos, ut praefatum est, apostolos ei specialiter quodammodo a Salvatore dictum fuisse videatur: maiora his facies, credens in nomine meo. Vere in eius nomine credens, tot taliaque exhibere miracula voluit, quem omnibus sepositis huius labantis vitae prosperis, est amplexus. Unde iure caelitus ei collata est virtus excelsa, qua utique exanimi cadaveri vitam orando restituit; et inter cetera innumera, solo intuitu vinctorum lora brachiorum dissolvit. Dolium quoque omnino vacuum oratu supplici lecytho manare potenter exhibuit. Placidum nec non puerum aequorea demersum in unda, sui pepli apparitione per Maurum aeque beatum stabili reddidit solo: et reliqua quae paene toto orbi terrarum et notissima et celebria fore non ambigo. Digne ergo a nobis suis servulis debita celebratur sollemnitate, qui corporea tranquille deposita sarcina, ad aetherea transmigravit palatia, illa susceptu-rus ineffabilia praemia, quae humana aestimatione propter sui magnitudinem plene non possunt considerari.

Digitized by Google

Merito quoque in eius sacrosancta sollemnitate spirituali tripudiamus iubilo, qui vigilum comitatus obsequio per stratam polico decoratam ornatu, caelorum tripudians alta conscendit. Nempe dignum est, ut eius amplectamur devota exultatione sollemnia, quem e terris abstractum sua Christus ditavit munificentia. Non ab re est eum prae ceteris sanctis devotius celebrare, cuius, divina annuente clementia, cotidie experimur iuvamen. Porro valde est indecens ut eum sua propria concio, conatu quo valet glorificare neglegat, quem exterae quaeque, proculque positae provinciae meritorum eius spiculis illustratae, devotissimis obsequiis venerantur. Sed interim quibus potissimum hic noster beatissimus pater delectari dignatur obsequiis, eius sanctae institutionis regula perlecta diligenterque perscrutata, perpendamus quatinus eius sequentes tramitem deviis quibusque possimus vigilanter carere dumetis. Inter cetera nimirum quae celeberrimus idem pater edocuit instrumenta virtutum, caritatem quae est perfectionis vinculum, humilitatemque quam constat omnium reliquarum esse custodem virtutum, praecipue commendavit. Psallendi quoque officium quam caute moderateque, et ut ipsius utar elogio, qua gravitate nobis exhibendum praeceperit, vestra caritas minime ignorat. Dicit enim inter cetera: sic stemus ad psallendum ut mens nostra concordet voci nostrae. In quibus verbis luce clarius indicat, non se vocum dulcedine, immoderateque sublimata cantilena, sed potius inspectione vis verborum, salubrique delectari compunctione.

Studeamus itaque, dulcissimi fratres, in hac eius praecipua sollemnitate caritate fervidi, mentis humilitate decori, cantilenae suavitate salubriter compuncti,

Digitized by Google

tanti patris celebrare memoriam, cuius patrociniis ubique mereamur muniri. Sed quia, sicut idem sanctissimus dicit, ea quae agenda sunt, oratu debent incohari, aliquantisper illius supplicemus patrocinatui, quatinus devote coepta feliciter consummentur. Igitur te nostrum pastorem, cernua mente, tuae flagitamus bidentes, ut nostri dignanter misertus, solitas offeras cunctisatori Deo pro tuo grege preces; ab antiqui hostis nos tuos famellulos incursionibus pie tuearis; caritatis nos pollere virtute misericorditer facias; charismatum omnium affluentiam clementer largiaris tuis clientulis, ac quandoque tuis nos facias aggregari coetibus. Me quoque tui enkomii praesumptorem litterariae peritiae minus edoctum, famulorum scilicet tuorum vernaculum ultimum, tuo quaeso protege patrocinio, quatinus omnes pariter tuo munere ditati, nostrorum impetremus facinorum veniam. Interea nostrae paginae calx breviter huius excellentissimi patris nostri summam concludat.

Sed quando nostra inertia faceto lepidoque sermone huius plene valet enarrare meritorum insignia? Cum etiam Plato vel Demosthenes eloquentiae, sicut aiunt, torrentes, si ab erebi faucibus, in quo cruciantur, resurgerent, tanti praeconia patris potius possent stupere quam loqui. Quandoquidem tanta eum tonantis clementia insignivit beatitudine, ut et polica regna iustitiae stemmate laureatus possideat ovans, et sua pignora, quibus Casinense beatur coenobium, a regibus terrae cernuo summissoque venerentur adoratu. Tantis enim miraculorum prodigiis etiam nunc apud suum honorificum larem praepollet, ut eiusmodi rumoris tonitruum transmarinos ultro montanosque principes ad sui pertrahat potenter obsequium. Nec immerito sane terronis

Digitized by Google

a principibus venerabiliter honoratur, qui regum omnium regi colla summittens, in omni studuit vita sua dignissime famulari. Ipse siquidem per prophetam dignatus est polliceri: ego glorificantes me glorificabo.

Vere quidem insigniter hunc nostrum sacratissimum patrem glorificavit et glorificat, non tantum in aethereis regnis, sed etiam coram hominibus in terris, quo totus agnoscat orbis quanta beatitudinis gloria exaltatur, qui pro eius nomine studuit in hac vita salubriter humiliari. En illum quem spelaea tenuerunt aliquantulum latitantem, nunc paradisus retinet exultantem; et quem arva quondam habuerunt confectum ieiuniis, nunc olympi gaudia complectuntur tripudiis. En illius vestigiis, quem olim sola Campania noverat, nunc reges terrae litant devotissima oscula nec non permunifica munera. Iam nunc ergo, pater excellentissime patrum, tuam cernui flagitamus clementiam, ut nobis opis tuae porrigas dexteram. Obstrue quaeso nostri misertus iniquorum * ora crudelia qui tuas fraudulenter gestiunt illicere vernulas. Da solamen tuum, pater, tuis clientulis quos ad tuum imitandum callem pertraxisti clementius. Pande dignanter, poscimus, iter quo ad patriam pervenitur, quatinus ex tuo grege nullum nanciscatur periculum; ut olim tibi collata talenta communi domino geminata de nobis restituens, duplici praemio potiri merearis. Nos quoque immeriti per tuum interventum saltem evadamus supplicium, quos ob meritorum qualitatem consecuturos ambigimus praemium. Praestante domino nostro Iesu Christo, qui te, beatissime pater, adeo * ita cod. sublimavit, ut nullo * sanctorum post beatos apostolos inferior videaris; ipso utique qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula sacculorum. Amen.

* cod. *licorum*.

Digitized by Google

Idem Petrus diaconus de viris ill. casinensibus cap. XXI. sic habet. « Albericus diaconus, vir illis temporibus singula-» ris, scripsit etc. vitam S. Scholasticae, homiliam eius, » et versus in vitam eiusdem. » Haec ego omnia videlicet in praedicto vaticano, olim casinensi, codice reperiebam. Sed vitae S. Scholasticae prologum tantum, ut loco suo dicam, vulgandum censui. Versus item de praedicta diva praetermisi, quia extant apud Mabillonium in actis SS. Bened. Homiliam dedi universam, quam ipse Mabillonius loc. praedict. dicit ineditam. Obiit Albericus (qui etiam romana purpura insignitus fuit) anno Christi 1088, *observante Maro. Multa eius opuscula et res gestas legesis apud Petrum diaconum loc. praedict. et in auctario ad Leonis ostiensis chronicum lib. III. cap.* 35. *apud Murator. S. R. I. tom. IV. p.* 455.

ALBERICI DIACONI

PROLOGUS AD VITAM ET OBITUM SANCTAE SCHOLASTICAE VIRGINIS.

Tempore quo Iustinus senior romanae rei publicae iura moderabatur, beatissimaeque Iohannes memoriae summae sedis et vita et doctrina pontifex dignissimus habebatur, sanctus vereque per omnia apostolicus Benedictus pater in sinibus occidentis effulsit; cuius inincomparabilem sanctitatem, virtutes magnificas, stupenda signa, ortus et occidens, meridies cum aquilone, miratur. Huic soror fuit nominis proprietate Scholastica, in schola Christi sub sancti Spiritus magisterio ab infantiae tempore in sanctimoniali habitu conversata; femina quae et ieiuniis continuis, et orationibus crebris, et vigiliis indefessis, et compunctionis praerogativa, et lacrimarum gratia, earum inter quas ei conversari con-

Digitized by Google

cessum est, nulli penitus visa est extitisse secunda. Et ut eius virtutes innumeras verbis claudam paucissimis, Benedicto extitit quam sanguine tam etiam sanctitate germana. Haec igitur et moribus et pedibus secuta fratrem, ex voluntate et consensu eiusdem, in vicinia Casini montis stationem fixit; ubi etiam, sicut in sequentibus erit liquidum, vitam sanctissimam morte celeberrima consummavit. Studuit autem illuc veniens obnixis fratrem precibus flagitare, quatinus ei de totius anni summa, diem saltim unam dignaretur concedere, in qua videlicet eum loco constituto adire, atque cum eo de fide, de spe, de Dei dilectione ac proximi confabulari liceret. Annuit piis germanae petitionibus sanctus frater, locumque in ipso montis vergentis descensu, in quo ad honorem eiusdem virginis ecclesiam posteri fabricarunt, ad id negotium habilem iudicavit; ad quem videlicet et virgini non nimis esset laboriosus ascensus, et sibi a monasterio non multae esset elongationis descensus. Ad hunc igitur locum quoad usque praesens anima corpus rexit virgineum, et virgo annis singulis die constituta ascendit, et Benedictus cl.oro semper comitatus discipulorum descendit. Dieque illa in rerum spiritualem sermocinatione consumpta, refectisque vergente sole cum gratiarum actione corporibus, illa ad cellam virginum, iste ad habitaculum monachorum redibat.

Sequitur narratio de sanctae Scholasticae supremo colloquio cum fratre, et deinde obitu, quae narratio nihil est aliud quam paraphrasis multo prolixior sermonis eius qui est apud S. Gregorium PP. dialog. lib. II. cap. 33–34, *additis in calce miraculis aliquot per S. Scholasticae intercessionem post eius beatum obitum patratis. Quae omnia nos, brevi-*

Digitized by Google

tatis studiosi, praetermittimus, atque ad Alberici eiusdem homiliam pergimus, in natali S. Scholasticae habitam; quae eiusdem generis colorisque est, ac illa Pauli diaconi de S. Benedicto, quam nosmet in septimo Scriptorum veterum volumine, ex hoc ipso vaticano, casinensi quondam, codice exscriptam vulgavimus.

ALBERICI DIACONI

HOMILIA

IN NATALI SANCTAE SCHOLASTICAE.

« In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam » hanc : simile est regnum caelorum decem virgi- » nibus, quae accipientes lampades suas exierunt » obviam sponso et sponsae : quinque autem ex eis » erant fatuae, et quinque prudentes. Et reliqua. » Matth. XXV. 1.

Audistis, fratres karissimi, caelorum regnum decem virginibus, quae acceptis lampadibus sponso et sponsae exierunt obviam, comparatum. Audistis earundem virginum alias quidem vitio fatuitatis inertes, alias vero prudentiae virtute sollertes. Audistis fatuas acceptis lampadibus, secum oleum non sumpsisse; prudentes vero secum et lampades, et in vasis oleum habuisse; sponsoque moras faciente diutinas, et fatuas et prudentes pariter obdormisse. Media vero nocte de adventu sponsi clamore facto, omnes simul ad aptandas lampadas surrexisse; extinctisque oleo deficiente lampadibus, virgines fatuas ad venditores olei a prudentibus destina-

Digitized by Google

tas ; eisque proficiscentibus , quae paratae erant ad convivium nuptiale cum sponso pariter ingressas ; fatuisque clauso ostio redeuntibus , vocesque supplices ut sibi ianua aperiri deberet ingeminantibus, voce sponsi in haec eis verba protinus fuisse responsum : amen dico vobis , nescio vos. Finitaque parabola , clausula est continuo admonitionis illata , dicente Domino : vigilate itaque , quia nescitis diem neque horam.

Volo in auribus vestris , fratres mei , similitudinis huius profunda mysteria , quanto absque obscuritatis caligine valeo compendio brevitatis transcurrere , ut post in sanctae virginis Scholasticae laudibus , cuius hodie migrationem ad caelestia colimus , moras congruas licenter valeamus habere. Scitis , fratres dilectissimi , hanc esse fidei catholicae regulam , ut Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres astruat esse personas , et ita unamquamque harum personarum singulatim Deum perfectum habeat , ut totae tres pariter non tres Deos sed unum dumtaxat Deum et corde ad salutem credi , et ore ad iustitiam doceat confiteri. Igitur unitas deitatis trinitati personarum coniuncta numerum conficit quaternarium ; completurque quinarius numerus cum credimus exinanitionem verbi Dei qua semetipsum exinanisse legitur, formamque servi accipiens, in similitudinem hominum factus , et habitu inventus ut homo , seque ipsum humiliasse, obedientiam patri exhibens usque ad mortem , mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum , et dedit illi nomen quod est super omne nomen , ut in nomine Iesu omne genu flectatur , et omnis lingua confiteatur quia dominus Iesus sedet ad dexteram maiestatis in excelsis , unde venturus est iudicare vivos et mortuos.

Digitized by Google

Quoniam igitur orthodoxa et apostolica fides haec est, qua in personis tribus unitas creditur deitatis, et qua verbum caro factum generis humani salutem creditur operatum per carnem, rectissime et convenientissime omnes qui hanc supputationis quinariae tenent fidem, numero quinario designantur. Virgines etiam vocantur aptissime, qui ab hac fidei integritate nullo dividi schismate, nulla potuerunt infectione haerescos violari. Sed quoniam haec fides in aliis, iuxta Iacobum, dilectionis operibus vacans mortua est; in aliis, iuxta Paulum, per dilectionem operari non cessat, in utrisque partibus quinquepertita fides numerum denarium consummavit. Quinque igitur prudentes virgines commodissime illi accipiuntur, in quibus fides numero designata quinario, iustitiae operibus per dilectionis affectum incessanter invigilat. In quibus vero haec ipsa fides operatur quidem fortassis quae pertinere ad iustitiam videantur, sed ipsa opera magis ex adeptione alicuius temporalis quaestus, quam ex intentione prodeunt caritativi affectus, hi tales et virgines dicuntur, et quinque, propter intemeratam compunotione quinaria significatam fidem; et fatuae tamen propter insipientem et ineptam operationis intentionem. Quod autem caritate et dilectione carentes, multa quae esse iustitiae videantur, valeant operari, et ex eis nullum penitus consequantur emolumentum salutis, vas electionis liquidissime protestatur, cum scribit: et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.

Hoc est igitur illud oleum quod fatuae virgines in vasis, id est in receptaculis interioris hominis non ha-

Digitized by Google

bent, unde et fatuae nuncupantur. Per oleum vero propterea caritas figuratur, quoniam sicut oleum semper liquoribus universis quibus admiscetur supersidet, ita caritas virtutibus universis praeminet. Unde et doctor gentium de caritate locuturus praemittit: ostendam, inquiens, vobis eminentiorem viam, fratres. Et post plura de laude caritatis commemorata, haec intulit: nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec, maior autem his est caritas. Hoc est itaque, fratres dilectissimi, oleum quo lucente operationes videlicet sanctae prudentium virginum confotae magni lucem fulgoris emittunt. Huius olei nutrimentum quia lucernae, id est operationes virginum fatuarum non habent, tametsi in praesenti minime videantur extinctae, lucent tamen in discursione districti examinis extinguendae. Hae virgines universae sponso et sponsae occursurae parantur, quoniam quinquepertita credulitas ea spe ab universis tenetur, ut post emensum vitae spatium, sponsi Christi sponsaeque eius, quae est caelestis Hierusalem, gratulabundi omnes conspectibus praesententur.

Sed dum sponsus moram facit, dormitant virgines omnes et dormiunt; quoniam dum suspendit examen iudex, vitae huius cursum omnes incipiunt, et metiuntur inceptum. Dormitare enim est, vitae cursum incipere, dormire vero semel coeptum metiendo transcurrere. Quod autem dormitionis nomine huius vitae valeat significari decursus, psalmistae instruimur auctoritate dicentis: dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Omnes viri divitiarum somnum suum dormiunt, cum per huius adhuc vitae spatia gradiuntur. Sed tunc non dormiunt, sed dormierunt de eis dicitur, cum iam per

Digitized by Google

mortem eis vitae cursus finitur. Et tunc in manibus suis nihil inveniunt, quoniam hic omnes quas frustra congregarunt divitias reliquerunt. Hic ergo somnus dum a virginibus fatuis prudentibusque percipitur, ut sponso omnes maturent occurrere, clamor nocte mediante auditur. Saeculum praesens, fratres mei, comparatione futuri nox dicitur; quoniam hic, iuxta apostolum, videmus per speculum et in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; et hic ex parte cognoscimus, tunc autem cognoscemus sicut et cogniti sumus; quando videlicet veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et cum laus erit unicuique a Deo.

Nocte igitur hac mediante, nocte hac nondum expleta, nondum consummata, vox auditur clamosa, ut in advenientis occursum sponsi omnes se virgines deberent praeparare. Iste est, fratres dilectissimi, clamor qui Esaiae Domini praeceptione iniungitur dicentis ad eum: super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Hierusalem, exalta, noli timere; dic civitatibus Iudae, ecce Deus vester, ecce dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur. Item ad eundem clamat: ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum. Audistis, fratres, in clamore prophetae verbis aliis sed sensu non alio, ecce sponsus venit; ecce inquit, Deus vester; ecce, inquit, Dominus in fortitudine veniet. Audistis quod prophetae illud etiam iniungatur, ut vociferetur et clamet, exite obviam ei, cum ei voce dominica imperatur ut annuntiet populo suo scelera eorum, et domui Iacob peccata eo-

Digitized by Google

rum, et cetera plurima quae sequuntur. In quibus profecto omnibus nihil aliud agitur, nisi commonitio quae venienti sponso exire virgines obviam hortatur. Iste clamor, fratres, dum in huius saeculi nocte dormimus, in auribus nostris per legem agitur, per psalmos agitur, per prophetias agitur, per evangelia agitur, per epistolas apostolicas agitur, per expositiones et commonitiones patrum orthodoxorum agitur. Omnium hic est clamor, haec est vociferatio omnium, ecce sponsus venit, exite obviam ei. Ecce venit, prope est, iam aderit, exite, obviate, occurrite. Hora est iam de somno surgere; nunc enim prope est nostra salus quam cum credidimus. Nox praecessit, dies appropinquavit, abiciamus opera tenebrarum, induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.

Surgunt ad hunc clamorem virgines et prudentes et fatuae, lampadas aptant, ad operationes se praeparant; deest oleum virginibus fatuis, deest eis dilectionis affectus, deest intentio caritatis, desunt misericordiae viscera quae ea in districto examine misericordiam faciant promereri. Oleum a misericordia accipit vocabulum; ἔλεος enim graece, latine misericordia dicitur, et propterea congrue per oleum misericordia figuratur. Neque aliud existimetis, fratres karissimi, modo me dicere, aliud prius ex ore meo vestris in auribus sonuisse. Videri enim fortasse quibuslibet potest diversum, quod prius per oleum dixi debere caritatem intellegi, modo per oleum misericordiam dico significari. Nunquam, fratres mei, misericordiae visceribus caritas, nunquam misericordia affectu poterit dilectionis carere. Non poterit igitur oleum typus existere caritatis, ut non etiam typus pariter

Digitized by Google

existat misericordiae. Et non poterit figuram misericordiae gerere, et figuram caritatis pariter non habere. Cum igitur per oleum caritas figurari dicitur, simul etiam figurari per oleum misericordia intellegitur. Et cum per oleum dicitur misericordia designari, oportet necessario dilectionem per oleum designatam intellegi.

Hoc igitur oleum non habent virgines fatuae, et plerumque recognoscunt se non habere, carent miserationis, carent dilectionis affectu, seque eo carere intellegunt. Unde ad virgines prudentes confugiunt, sibique ab eis de earum dari oleo deprecantur. Intellegunt nonnunquam reprobi opera sua aut non recta esse, aut nequaquam ex recta intentione procedere. Intellegunt et compunguntur; sed quia secus viam seruntur et temporales sunt, ad tempus credunt, et in tempore temptationis recedunt. Veniunt fatuae ad prudentes, lucernas suas extingui clamitant, dari sibi oleum flagitant, quia nonnunquam compuncti reprobi ad sanctos viros confugium faciunt, atque ea quae videntur operari bona, ex non bona intentione procedere propria contestatione fatentur. Commendant se caritati, commendant se dilectioni eorum, commendant se precibus, commendant se misericordiae eorum visceribus. Hoc est ab eis oleum petere, hoc est ex eorum fomento suas velle lucernas ardere. Sed quid virgines prudentes responderunt, audistis: ne forte, inquiunt, non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.

Dicunt hoc aliquotiens, fratres, timoratae, dicunt hoc humiles animae, respondent eis qui earum se precibus, earum se orationibus satagunt commendare: vix orationes nostrae, vix preces, vix obsequia quae

Digitized by Google

exhibemus Deo, nobis ipsis sufficiunt: vix sumus tales qui pro nobis ipsis audiri digni inveniamur: non sunt orationes nostrae, non sunt famulatus nostri servitia ante Deum tanti, ut per ea possint alii promereri salutem: nolite in precibus nostris, quae nullius momenti existunt, spem ponere: ipsi pro vobis potius laborare studete. Oleum, ut ipsi confitemini, non habetis; olei venditores plurimos invenire potestis. Venditores olei, venditores misericordiae, pauperes sunt, quoniam dum ipsis misericordiam impertimus, et ipsi a Domino misericordiam promeremur. Ipsique sunt qui de mammona iniquo nobis amicitiae vinculo copulati, in aeterna nos recipiunt tabernacula. Et in qua mensura metimur eis in eadem remetietur nobis. Ad hos igitur ite, eos vobis amicos facite, eis non vanitatis intentione, ut hactenus, sed spe olei, spe divinae misericordiae consequendae, de mammona vestro iniquitatis tribuite; certi et inambigui, quoniam mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Audiunt prudentium consilia fatuae, eunt ut olei faciant emptionem. Sed illis euntibus sponsus venit, intrat cum paratis ad nuptias, ianua obseratur. Quid est eunt? Decernunt, statuunt, disponunt. Decernere, statuere, disponere aliquid animo, ire est. Dicuntur ut oleum emerent isse, non dicuntur emisse Eunt, sed non emunt, quia statuunt sed non faciunt, spondent sed non implent, pollicentur sed non exercentur, protelant, procrastinant, differunt. Fatuis ad olei emptionem euntibus, prudentibus vero de eo quod in vasis habebant oleo lucernas aptantibus, sponsus venit; quoniam reprobis bona semper facere differentibus,

Digitized by Google

et electis indesinenter eis insistentibus, iudex per mortem et hos et illos ad examen accersit, et electis per mortem assumptis in gloria, per mortem nihilo minus reprobis clauditur, nunquam eis ultra in perpetuum aperienda ianua. Illa enim hora iam illis adest, de qua alibi veritas loquitur: veniet, inquiens, hora in qua nemo potest operari. Praeteriitque iam eis tempus placitum, et salvationis dies; de quo Dominus ore prophetico, tempore ait placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tibi. Unde in vacuum ingeminant voces clamoris, quibus tempus exactum est exauditionis; diciturque eis, amen dico vobis, nescio vos. Negat eas in vita illa, quae in hac eum vita, etsi non verbis, tamen operibus negaverunt. Quod autem Dominus verbis astrui, factis valeat denegari, palam est praedicatoris egregii testimonium, quod de quibusdam recta docentibus, et a pravis non secedentibus protulit in haec verba: confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Ad quid vero totius series similitudinis tendat, sequens confestim admonitionis clausula manifestat, inferente Domino ac dicente: vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Explanatione lectionis evangelicae succincta brevitate decursa, ad laudes, ut in ipsis statim exordiis repromisimus, virginis cuius a nobis dies colitur natalicius, nostri sese continuo transferat sermonis articulus; illudque nobis primo contueri sit studium, nihil eorum omnino defuisse Scholasticae, quae ex relatione dominica prudentes edidicimus virgines habuisse. Virginitate namque omnimoda claruit, quae praeter communem virginitatem fidei, carnis etiam pudi-

Digitized by Google

citiam intemerata animi puritate servavit. Prudens extitit quae in rerum finibus figens oculos, bona sibi indefessa perpetuitate providit. Lucernam sponso occursura succendit, quae ad Christi visionem anhelans, actionum sanctarum lucem solis fulgidiorem radiis circumquaque dispersit. Oleum accepit in vasis, in receptaculis animi fomentum piae semper tenuit caritatis. Per cuius videlicet caritatis vim intimam tantum Scholastica valuit, ut miri exhibitione prodigii, qua lacrimans caeli faciem pluviis irrigavit, fratris sanctissimi voluntati obsisteret, eumque ad fratres quom disposuerat reditum, caelo pro ea dimicante, aggredi prohiberet. Parata igitur accensis lampadibus venienti sponso obviam die hodierna exivit, atque laetabunda cum ipso ad nuptiales epulas introivit.

Cuius artus regens corporeos quantae extiterit mansuetudinis anima, orbi Deo revelante innotuit, quando corporis egredi iubetur ergastulo, cum videlicet in specie avis carentis felle caeli penetrare secreta fraternis est obtutibus demonstrata. Dicuntur et aliae, fratres karissimi, columbae proprietates existere, quarum mysteria sacratissimae virgini dignissime possunt et verissime coaptari. Perhibetur haec avis libentius et frequentius in petrae foraminibus nidum aedificare, perhibetur nil vivum comedere, perhibetur non rostro non unguibus sese sed alarum motione defendere, perhibetur in volando societatem amare, perhibetur oculos lippientes habere, solisque volans adversa radiis non posse accipitrem obvium lucida contemplatione videre; unde dicitur consueta insidere arbori secus decurrentium aquarum fluenta plantatae, oculosque quos radiis nequit obiectare solaribus, in aquas defigere, et ima-

Digitized by Google

gine speculata in aquis, in sui properantis direptionem accipitris dolos et impetus declinare. Illud vero, fratres mei, quis nesciat, columbarum cantum nihil aliud quam gemitum esse.?

Harum omnium proprietatum mysteria si in Scholastica, fratres karissimi, speculemur, causae nobis patebunt plures, cur divinae sapientiae visum fuerit egressam corpore virginis animam in columbae specie fratris conspectibus revelare. Nidificavit igitur columba nostra in foraminibus petrae, quae videlicet omnem salutis vitaeque suae fiduciam in Christi statuit passione ac morte. Petram vocari Christum, vas electionis vos docuit. Haec vero petra eo tempore forata est, quando in cruce clavis ferreis pedibus est manibusque confixa. Foramen petrae huius illud etiam extitit, quo latus eius miles lancea infixa aperuit. In his igitur foraminibus nidum sibi Scholastica statuit, quia per ista aeternae sibi in caelestibus mansionis spem inambiguam collocavit. In his foraminibus nidum statuit, quoniam ea salvationis suae causas existere certae fidei credulitatem gestavit. In his, inquam, foraminibus nidum statuit, in quo nimirum se tutissimam ab animarum accipitre diabolo conservavit. Nihil vivum columbae nostrae cibus fuit, quae apostolum audiens carnem suam cum vitiis et concupiscentiis mortificare sategit. Non se abs quolibet unguibus, non rostro, sed alarum sola protectione defendit, quae mala nesciens pro malis rependere, sola sese ab adversantibus omnibus Dei proximique dilectione munivit. In volando societatem dilexit, quae secum ad caelestia quascumque potuit trahere procuravit. Oculos lippientes habuit, quae in hac vita cum Paulo per speculum et in aenigmate vidit. Arbor

Digitized by Google

secus decurrentes aquas plantata, cuius insidere cacumini columba haec consueverat, Christus dominus est, in cuius capite, quod utique Deum esse testatur apostolus, sedem sibi firmissimam ac munitissimam stabiliebat. Haec arbor iuxta vatem psalmographum secus decursus est plantata aquarum, quoniam quicquid de ipso fideles credunt, satis firmatum est auctoritatibus scripturarum. Aqua enim profunda, inquit sapientissimus hominum, verba ex ore viri, et torrens inundans fons sapientiae. In has aquas obtutus figens venientem accipitrem deprehendit, quia scripturis intenta sacris, hostis versipellis insidias conspiciens declinavit. Cantus columbae nostrae, gemitus fuit, quae actionis propheticae imitatrix, in suo gemitu laboravit, et per singulas noctes lavit lectum, stratum lacrimis irrigavit, atque a voce gemitus eius adhaeserunt ossa pelli eius. Ut autem ad extremum, fratres mei, virginem sacratissimam verbis paucissimis et sufficientissimis commendemus, Benedicti soror extitit quam sanguine tam etiam sanctitate.

His in laudes virginis compendiosa brevitate decursis, ad exhortationem vestram, fratres dilectissimi, redeamus. Illam lectionis evangelicae clausulam iterum atque iterum vestris et auribus et mentibus ingerentes: vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Vigilate, fratres, cohortor, suadeo, moneo; vigilate, quoniam migrationis vestrae et diem non nostis, et horam ignoratis. Currite dum lucem habetis, ne tenebrae mortis vos comprehendant. Operamini dum vacat, dum licet, dum sententiam suspendit iudex. Veniet enim hora in qua nemo poterit operari. Hortamur cum apostolo ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: tem-

Digitized by Google

pore accepto exaudivi te, et in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce dies salutis. Quaerite igitur, fratres mei dilectissimi, Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Honor amittitur? recuperari potest. Amittitur dignitas? recuperari potest. Amittuntur opes? recuperari possunt. Innumera sunt quae amissa possunt recuperari. Tempus operandi, tempus paenitendi, tempus Deo placendi, si semel amittitur, nunquam in sempiternum ultra recuperatur. Quod adhuc nobis licet ad Deum converti per paenitentiam, fratres dilectissimi, scimus; sed utrum usque ad vesperam haec nos licentia maneat, ignoramus. Scientes igitur, dilectissimi, quoniam patientia Dei ad paenitentiam nos adducit, non secundum duritiam nostram et cor inpaenitens thesaurizemus nobis iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique iuxta opera sua. Vigilate igitur, fratres dilectissimi, vigilate; quoniam et diem nescitis et horam ignoratis. Beati servi illi, ait veritas, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes! Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eos. Quorum bonorum nos participes faciat Christus Iesus dominus noster, cui cum Patre et vivifico Spiritu potestas dominatio et imperium sine fine permanet in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

DE OPUSCULO QUODAM

PAULI CASINENSIS.

Inter viros illustres coenobii casinensis Petrus diaconus refert cap. 36. *Paulum ligurem, quem temporibus Paschalis II. PP. vitam illic monasticam professum, et commentarios in prophetas, psalterium, novumque testamentum composuisse ait, nec non alia scripsisse volumina quae in Petri manus nondum devenerant. De hoc Paulo eiusque libris loquuntur etiam Mabillonius annal. bened. T. V. lib.* 69. *ad an.* 1100, *et Legipontius hist. litter. bened. T. IV. pp.* 36. 41. 46. 51, *et denique Lelongus B. S. T. I. p.* 895, *qui tamen nihil praedictis a Petro diacono addunt. Supradicta Pauli opuscula periisse cuncta existimat Marus in adnot. ad Petr., queritans simul de saeculi sui socordia in sacrorum monumentorum vestigandis thesauris. Quod tamen neque Petrus diaconus nominatim memorat, neque Marus vidit, Pauli opusculum in sacram Genesim, id mihi in vaticano codice his annis compertum fuit, in autographo ut videtur codice, sed certe synchrono, quia scriptura eius desinenti XI. vel incipienti XII. saeculo deputanda est. Utrum vero auctor ad reliquos quoque pentateuchi libros progressus fuerit, nescio: etenim codex vat. desinit mutilus in patriarcharum benedictionibus Opusculi titulus est:* INCIPIUNT PAULI PROBLEMATA DE AENIGMATIBUS EX TOMIS CANONICIS. *Porro dicuntur problemata, quia pleraque pars operis in quaestionibus earumque solutionibus vertitur. Laudantur a Paulo auctores, quantum vidi, hi. Christiani quidem, Ambrosius, Antonius abbas, Augustinus, Eucherius, Faustus, Gregorius papa, Hieronymus, Iohannes Cassianus, Isidorus, Iunilius, Orientius, Origenes, Orosius, Sulpicius, Theophilus, et Anonymi quidam. Ex hebraeis Interpretes LXX, Iudas quidam, Annales Hebraeorum, item generaliter scripta Iudaeorum. Denique ex ethnicis Apuleius et Virgilius. Opus ipsum incipit sic.* Vetus testamentum, Isidorus dicit, ideo dicitur quia veniente novo cessavit. *Mihi hoc unum propositum in praesenti est, ut operis notitiam minimumque specimen praebeam, praesertim ex citatis in eo veterum auctorum locis.*

F. 28. IUDAS dicit: auctoritas librorum ex prohoemiis cognoscitur.

F. 29: THEOPHILUS. Divisit lucem ac tenebras. Lucem appellavit diem. Id est dies, species formatae rei; nox, privatio operis.

F. 30. OROSIUS (1). Firmamentum utrum stat, an movetur? Si movetur, quomodo firmum sit? Si stat, quomodo luminaria mundum circum-

(1) Orosii adnotationes quoque in apocalypsin a me in codicibus observatae fuerunt.

Digitized by Google

eunt? Id est, non ideo firmamentum dicitur quod staret immobile, sed propter firmitatem naturae, ut vertigo poli circum aethera vehitur.

F. 40. IUNILIUS dicit: nihil post primum diem ostenditur factum ex non existentibus. Sola anima hominis, ut solus homo ex nihilo factus.

F. 50. De hoc paradiso MATTHAEUS apostolus dicit (1). Paradisus deliciarum, ubi Adam fuit, omnibus montibus altior, vicinus caelo: et ibi non habetur quod saluti hominis nocet sive in vivis sive in mortuis creaturis: ubi neque lilia, neque rosae marcescunt: ubi neque labor neque senectus: et omnia animalia iussui hominis famulantur, non mactanda ad escam sed deliciis servitura angelorum et hominum: quia et sic sunt epulae paratae ibi ex carnibus pecudum vel piscium, ut nullus occidatur. Sic est ex poculis. Tametsi nulla degestio sordium sequitur. Neque ibi facies caeli tegitur nubibus, neque fulgura; et reliqua.

F. 57. Iterare vocabulum tribus modis fit. Increpatione, ut: ubi es Adam, ubi es Adam? Prohibita, ut: Abraham Abraham ne inicias manum tuam in puerum. Consolatione, ut ANTONIUS dixit: ubi eras, Iesu? ubi eras Iesu?

F. 60. OROSIUS dicit mundum similem homini in lecto posito, et prius a capite formatur id est a paradiso Adae in oriente posito, et oceanum inter se et hunc mundum.

OROSIUS dicit aliam insulam in oriente celatam, cum amoenitate paradisi Adae, in qua adhuc Helias et Enoch morantur.

Cod. f. 66. *ubi de Lamecho homicida.* FAUSTUS. (2) Vel adolescentulum, id est quia Cain non canus, neque senescit ullo modo more ferarum non senescentium. Haec in annalibus Hebraeorum leguntur. - Cur maior ultio Lamech quam Cain? Quia ante Cain non factum est homicidium, nec correptio, nec sententia dura dicta castigavit. Non sic Lamech. Vel septuagies septies, quia hic numerus de gente Lamech in diluvio deletus est. Vel in hoc numero requiescit vindicta. LXXVII. viri ab Adam usque ad Christum completi sunt, et tunc solvetur mundus, et animae hominum requiem invenient *etc.*

SULPICIUS vero dicit quia non de Cain hoc dicit, in vulnus meum, id est, vindicta eius super me, memorans verbum Domini.

F. 94. *ubi de Isaaci sacrificio.* FAUSTUS. Venerunt ad locum. Cur Abraham dixit, revertimur ad vos? Si voluit offerre filium, quomodo potuit reverti? Id est in spem contra spem credidit, quia credidit offerre filium quia Dominus praedixit ei. Item credidit filium filium reverti, quod Dominus dixit ei, erit semen tuum sicut stellae caeli. Item credidit, quod qui illum de sterili et senibus dedit, potuit de morte suscitare *etc.*

(1) Videtur Paulus noster sumere sequentia ex aliquo apocrypho.

(2) Fausti quidem reiensis sermones habes apud nos in hoc eodem volumine.

Digitized by Google

MONITUM.

Codex olim laureshamensis, nunc palatino-vaticanus, haud recentior saeculo XII., mediocre continet corpus epistolarum veterum, in imperio praesertim Heinrici IIII. eiusque filiorum Conradi et Heinrici scriptarum. Forma quidem stilusque ipsarum congruit admodum cum illis multo numerosioribus, quas ex codice Uldarici babenbergensis edidit Eccardus in corp. hist. med. aevi T. II; verumtamen vaticanae hostrae pauca continent vel historicâ vel certe gravia, familiaria vero plurima. Quid agerem? Neque cunctas vulgandas censebam, sunt enim supra sexaginta, neque partem saltem illarum vel potius specimen invidendum lectoribus esse iudicabam. Paucas igitur libri mei paginas delectis aliquot concessi; quarum tamen continentiam nullis scholiis declarandam putavi, tum propter designati spatii angustias, tum quia ex illorum temporum historiis, pula ex episcoporum Germaniae catalogis, ex Heinrici IIII. impressa vita, ex Hermanni Corneri aliorumque chronicis, apud antiquitatum germanicarum collectores, luculentam notitiam petere licet. Ex his, inquam, historiae monumentis nomina quoque hominum cognosci poterunt, quorum in his epistolis (ut fit etiam in illis codicis uldariciani) nonnisi initiales leguntur litterae; quamquam aliquando dubium haereret, nisi veritas ex adiunctis micaret. Nam v. gr. in prima et secunda epistola A. episcopus wormacienais, *et* Adalgerus *intelligi posset, et* Arnoldus, *et* Adalbero, *et* Adalbertus, *qui omnes cathedram wormaciensem intra quinquaginta annos, in posteriore saeculi XI. parte insederunt, nisi epistolarum ipsarum contextus certum aliquem designaret. Disquirendum insuper erat, an hae codicis vaticani epistolae editae sint nec ne. Nam duas certe mutuas Caroli principis et Diederici episcopi, apud Chesnium hist. Franc. T. II, tertiam apud eundem T. IV. videre impressas memini; neque tamen opera seu collectiones aut Chesnii, aut Cointii, aut Freheri, aut Struvii, nunc mihi prae oculis sunt. Sed utcumque se ista habent, nihil profecto vetat, quominus pervetusti codicis vaticani notitiam et specimen heic proferam.*

Digitized by Google

EPISTOLARUM THEUTONICARUM

SPECIMEN.

1. Domno A. summe pontifici, nomen meritis ornanti, H. suus utinam dignus cum omni fratrum catervula, oraminis ac serviminis munia. Cod. f. 2.

Salutarem vestrae prosperitatis adventum optavimus; et merito optavimus, quia vobis secundo et incolumi nullam adversitatis procellam nos eventere formidamus. Sed nec linguae officium praevalet ad explanandum, nec mentis intentio sufficit ad cogitandum quantum gaudii, quantumque spei, vestri laboris meta, iocundissimique vestri adventus gratia nobis arrisit. Talem enim patronum, tantaeque religionis virum quis non amabit? quis non honorabit? Nam qui omnibus prodesse conatur, merito ab omnibus veneratur. Adsurgat igitur, universorum salvatori laudem tollendo Wangia (1) tanti praesulis fulgoribus illustrata. Gaudeat et ipsius congregatio gregis, nunquam invisibilium dentibus luporum laceranda, salvo baculo pastoris; tamque praesentis gaudii gratia communi voto surgamus in haec verba: laetentur caeli, exultet terra, et caetera. Haec de communi. Quid autem ego inaestimabili, ut iterum ad vos pater sancte respiciam, vestrae pietatis misericordia vivens et victurus? Quid, inquam, tali tantoque tam sancto tam egregio pastori veroque Christi confessori dignum aut honestum apportabo, quem totius expertem consilii nullius decoratum pretiositate virtutis nullus ignorat? Verum enim vero, si cuncta sermonum genera meis nutibus servirent, tam clementem, tam paternae misera-

(1) In codice edito diplomatico laureshamensi trad. 819. legitur: *in civitate Wangionum, quae cognominatur Wormacia.*

Digitized by Google

tionis gratiam vestram ex parte mihi exhibitam explanare non sufficerent. Sed quod valeo, cum devotione Petri, quam devotus impendo. Non cessat igitur mens mea, cum omni desiderio animae, tota mentis intentione precibus insistendo, lacrimas effundendo, Deum inquietare, quatinus vos salvum et incolumen, veluti tota plebs vobis subiecta precatur, conservare dignetur.

Cod. f. 3. 2. A. praesuli egregio (sanctae wormaciensis ecclesiae *) dilectoque suo domino, ·I· (Aritinus quod verius est peregrinus) quicquid est, eodem indignus, orationis hostias in Deo mactandas.

Vestrae sanctitati obedienter, ut dignum erat ac decenter paruisse, nunciumque vestrum dominae nostrae Imperatrici (1) studiose ac diligenter praesentavisse, ex hoc aperte sciatis, quod eam ipsam vestri muneris partem propria manu recepisse non dubium est. Deinde quanta benignitate, quantaque gratiarum actione vestro se patrocinio et oramine ac servitio visitari me-
* ita cod. minerit, crebra atque sollicita vestrae sanitatis * interrogatio manifestat. In quo videlicet idoneos atque placidos vobis testes adfuisse credatis, dominum ·H· scilicet cum tenera coniuge Chunegunda, quam etiam post vestrum discessum a nemine se amygdalis donatam, paternis verbis consolatam, satis muliebriter ingemuisse sciatis. Praeterea iter vobis domini nostri ·C· Imperatoris felix prosperumque, quantum adhuc sciri potest, denuntio. Audivimus enim Saxones ad adiutorium sui uniformiter armari. Porro autem nec illud vos latere volo quod legati Anglorum, nostrae iuniori dominae nu-

(*) Haec sumuntur e praecedente in codice epistola.

(1) Giselae fortasse, ut in epist. 3.

Digitized by Google

per infirmae, nunc autem, Deo gratias, valenti missi sunt, qui vero dixerunt sibi haec: infelix ergo, inquiunt, et iniusta novurca vestra Arduichenut germano vestro regnum fraude subripere cupiens, universis primatibus nostris convivia maxima celebravit; et nunc eos prece, nunc pretio corrumpere satagens, iuramentis sibi suoque nato subiugare temptavit. Qui vero non solum ei in aliquo huiusmodi non consenserunt, verum etiam nuntios praefato germano vestro, quatinus ad eos cito redeat, unanimes transmiserunt. Sed illi quidem talia. Ad haec ut fideliter semper faciam, notum vobis fieri volo, episcopum mettensem cum gratia magna a curte recessisse; archiepiscopum vero ·C·, atque episcopum ·L·, abbatem ·E·, atque abbatem Brum, simul cum domina nostra usque ·IIII· id. augusti manere, dieque eadem ipsam a Noviomago Saxoniam tendere, depositum laudatumque habere. Quando magis sapio, magis intimabo. Bene vale, pater kare.

3. Imperatrici ·G· (1) suorum cunctorumque indigentium spei firmissimae debitum Humbertus cum fratribus servimen fidelissimis cum precibus, Cod. f. 4. h.

Non dedignetur nos pauperes vestra imperialis exaudire dignitas, quos ad vestram clementiam magna clamare cogit necessitas. Nos de omnibus sancti Willibrordi rebus vix solam fovere possumus vitam, quibus plenissime nonnulli nec per nostram nec per vestrae reverentiae fruuntur licentiam. Sicut quidam servi comitis Giselberdi de Hinguuich quasi pro proprio possident ·XV· mansos vi et praeda iam nostris ablatos an-

(1) Gisela imperatrix, coniux Conradi imp. in ep. 121. codicis uldariciani apud Eccard. T. II. p. 110.

Digitized by Google

tecessoribus, quibus iniuste caruerunt, et adhuc nos caremus. Quandoquidem vestra sublimitas semper misericordiam dilexit et iustitiam, et maxime in hoc quadragesimali tempore erga pauperes Christi exercuit eleemosynam, ideo vestris provoluti pedibus deposcimus gratiam, ut nostrae recordantes inopiae praedictos mansos adiuvare dignamini pauperculae reddi catervulae. Si autem ista nequeunt nostra impetrare oramina, saltem vel propter sancti Willibrordi facere dignemini merita, quo in conspectu summi regis merces vobis restauretur centuplicata. Valete.

Cod. f. 7. 4. Serenissimo treverensis ecclesiae archiepiscopo ·B· omnigenae caritatis viro, wormaciensis episcopus ·H· a se ipso cunctarumque suarum congregationum collegio fidelissimae servitutis atque orationis indicia.

Si vestrae receptionis adventui digne congratulari possem, nihil eo libentius facerem. Enim vero, et si tunc temporis nostrae regionis loco aliquo remansissem, omni mentis exultatione, totiusque famulicii devotione vos sine dubio recepissem. Sed quamvis corporali absentia vobis abessem, genuinae * tamen dilectionis perfectione spiritaliter adesse pronuntio. Mansionem, quam vobis a me praestari rogastis, cum omni quo possum servitio voluntarie donabo. Fabrum vero vobiscum accommodare nequeo, quia simul ut a nobis in orationis iter perrexistis, unus, quem optimum habui, saeculum mutavit. Proinde me huius rei erga vos excusatum esse intente deposco. Earum namque rerum omnium quas vel habeo, vel ullatenus investigare valeo, quotienscumque vobis dignum erit, a me recipiendi securitatem vobis demando. Ergo et vestram incolumitatem qualis sit rescire deside-

* cod. *geminae*.

Digitized by Google

ro, quoniam dum in vestra gratia taliter ut modo remaneo, non ulterius de me ipso quam de vobis, Deo teste, curam habeo. Ad haec igitur, si quid novi apud vos in praesens acciderit, de vestra parte mihi intimari exopto. Apud nos enim, praeter quod omne vulgus attrectat, rari nihil est; sed si quando quid evenerit, certa legatione vobis per manum patefiet.

5. Dignissimo dilectae filiolae Wormaciae patri domno suo ·A· episcopo, ·G· infirmus et inutilis summi patrisfamilias vespertinum denarium. Cod. f. 18.

Mallem aures domini mei prosperis semper laetificare, quam adverso quolibet nuntio, quod non decet, unctum Domini inquietare. Sed quia vos mihi iamdudum praecepisse memini, nequa vos celem, quae mihi alicubi innotescant, praecepto et voluntati vestrae in huiusmodi parere non ignoro oportere. A proxima, quae nuper fuit dominica princeps regni, scilicet ·H· coloniensis archiepiscopus, ·B·werzeburgensis episcopus, cum caeteris compluribus nunc usque Moguntia se continent, multa consiliantes, multa tractantes, multa conferentes. Huius conventus summam quia intimare vobis certam non possumus, quaedam quae ipsis referentibus reperire nos contigit, vobis scribere curavimus. Ferunt dominum Imperatorem augustum, veteris existente causa odii, vehementer animatum esse in ·A· ducem et marchionem; et ita animatum, quod convocatis coram se principibus, scilicet ·E· ·A· marchionibus, caeterisque principibus, qui tunc ibi intererant, quatinus ipsi ·A· ducatum suum et marcam iudicio abdicarent praeceperat. Sed ipsi non id nisi in praesentia et iudicio filii sui ·H· regis fieri debere accepto consilio responderunt.

Digitized by Google

Quo vocato, Imperator iniuriam suam exposuit ; filium suum quatinus ·A· omnimodis insequeretur, ut ipse eum se diligere cognosceret, postulavit ; simulque ducatum sibi iudicio abdicandum et nunciavit et rogavit. Dominus ·H· rex etsi patri per omnia obedire et vellet et deberet, memor tamen cuiusdam pacti, quod cum ·A· pepigerat, quod pater rogavit, se non posse nec debere exequi, constanti animo iuravit. Quod cum diu tractarent, patre semper et monitionibus, et minis, prece, omnibusque huiuscemodi exhortationibus incumbente ; filio vero e contra obstinato animo, et nil a priori sententia mutato recalcitrante, tandem Imperator huius doloris immedicabili vulnere tactus, cum ita filium suae voluntati decsse videbat, ante ora omnium iam prorsus elinguis sibi excidebat, et neque loquens, neque videns, neque quemquam praesentium, ut videbatur, agnoscens, et ita in extasi mentis positus, inter brachia tollentium in lectum collocatur. Post aliquanta ad se ipsum rediens, convocari iterum iubet filium ad se, et principes. Quibus convocatis, sciens quia cor contritum et humiliatum Deus non despiciet, se se ad pedes filii sui humo tenus proiecit, lacrimis multum obtestans, quatinus recordari dignaretur patris, ne inimicis gaudium augeret, ne regno dedecus, ne sibi infamiam pararet, dum a patre discordaret, ne discordando fieret Absalon, dum pacifice vivere posset Salomon. Motus tandem filius piis lacrimis patris, ad se rediit, rediit inquam ad se, quia exivit a se ; rediit vero ad se, dum rediit ad obedientiam, ad praeceptum, ad voluntatem patris. Sed ita rediit: iuramentum, quod ·A· fecit, patri aperuit, ciusque iuramenti ·E· episcopum auctorem fuisse retulit : quod cum Imperator ve-

Digitized by Google

hementer iratus ab ·E· episcopo an ita esset, requireret, ille non dissimulavit, non negavit, sed se id ea causa fecisse memoravit, quatinus ·A· regi fidum faceret; qui non aliud esse iuramentum dixit, nisi quod absque iuramento custodiri oporteret, scilicet ne sibi in bonis suis dampno esset, ni forte ea iudicio perdidisset. Quo percepto, Imperator vehementissime in episcopum animatus, inconvenientibus et multimodis conviciis cum magna verecundia et pudore limen excedere, caminadam egredi praecepit. Quo facto, redivit ad iudicium, abdicaturque ·A· ducatus et marca. Ergo dicunt ipsum ·A· confisum Cruuatis et Mirmidonibus regiae potestati velle resistere. Cuius occasionis timore cessabunt domi Bauuarii ab indicta expeditione. Marcam vero ipsius ·A· fertur commissam esse cuidam ·A· de ·L·; ducatum autem nulli adhuc esse commissum; pro quo petendo dominus Cuono in ista hebdomada ad curtim proficiscitur. Ad ultimum, nisi infirmitas corporis me maxima detineret, videre vos tamdiu non distulissem. Verumtamen, vita comite, videbo vos citissime, et quae nunc non scribo, tunc praesens loquar vobis. Valete.

MONITUM.

LEONIS clerici, patria romani, dignitate presbyteri, prologum eruditum in hoc Spicilegio iam edidimus T. IV, ubi ipse pag. 292. *titularium se appellat S. Respicii martyris, de cuius antiqua ecclesia et sacra statione loquitur Carolus Barth. Platea in hemerologio romano p.* 672. *Nihil tamen nos diximus in praedicto tomo de Leonis aetate; sed quoniam in illo prologo ait Leo se Theodoricum monachum peregrinum et infirmum hospitio recepisse, habemus iam exploratum Leonis aevum: etenim Theodoricus (qui fuit patria tre-*

Digitized by Google

virensis et morbo podagricus) monachatui se nomen dedisse anno Christi ·MVI·, narrat ore proprio apud Mabillonium in annalibus Bened. T. IV. p. 174; quo loco miror Maurinum doctissimum vix unam commemorare Theodorici lucubratiunculam de vita et miraculis S. Celsi episcopi; quum apud nos loco praedicto tot alia Leo enumeret Theodorici scripta; quibus adde illa quae recenset Trithemius, itemque Bollandus T. III. martii die 21. p. 199. et 200, quorum nonnulla in vaticanis quoque codicibus conservantur.

Obiter vero heic aio, dolere me quod in praefatione ad tertium Spicilegii volumen nullam tradiderim notitiam Bonifacii consiliarii, a quo priora ·XII· sanctorum Cyri et Iohannis miracula, teste Anastasio bibliothecario, latinitate donata fuerunt. Atqui erat obvius Baronius, apud quem ad annos Christi 685. et 692. dicit idem Anastasius fuisse Bonifacium apostolicae sedis consiliarium sub Benedicto II. PP., et mox sub Sergio Constantinopolim, irati Caesaris iussu, fuisse translatum. En igitur septimi saeculi auctorem Bonifacium, vetustatis hercle non contemnendae!

Nunc ad Leonem ut redeam, novam eius aspexi in reginae svecae codice lucubrationem, vitam scilicet S. Iohannis chrysostomi, quam ego lectitans statim comperi, eam de graeco Metaphraste potissimum a Leone eiusque adiutore Christophoro fuisse derivatam; quae cum apud Surium extet latine, etsi aliis verbis, nihil erat causae, cur Leonis compilationem in vulgus emitterem. Quin adeo verbosiorem quoque illam multoque prolixiorem Chrysostomi historiam, quam a Christophoro interprete sibi exhibitam dicit Leo, in alio vaticano codice offendi, quam item consulto praetermisi. Igitur ex universa Leonis lucubratione prologum tantummodo ineditum, seu potius praeviam ad quendam Lupum epistolam retinui, adiecta etiam brevi operis clausula. Sane quia Romae versor, et quia romani cleri studiis apprime faveo, hanc romani clerici, hactenus ut puto incogniti, et notitiam et religiosam scriptiunculam celandam non iudicavi.

Digitized by Google

LEONIS CLERICI ROMANI

PROLOGUS AD VITAM

S. IOHANNIS CHRYSOSTOMI.

Sacrae dignitatis summi presbyteratus culmine sublimato viro, quondam Iuliano, nunc Lupo nomine non iniquo actu, Leo qui et Iohannes cognomine, infelix existens clericus, a prima infantia divino iudicio lumine visibili carens, ex toto perennem optat in Domino salutem.

Actiones passionesque beati Chrysostomi Iohannis ab exordio usque ad terminum vitae eius, sed et post obitum ipsius aliquanta de eo facta, ex graeco in latinam linguam transferri, satis anxie quaesisti, quae et ego nosse cum innumeris sitiebam. Sed quamvis haec scire vobiscum avidus essem, ea tamen transferre te crebro a me postulante, et plurimis hoc fieri a me poscentibus, pro mea imperitia nequaquam gaudebam. Id enim me agere, idoneum minime fore noveram. Verebar quoque ne forte interpres, quamquam disertus et prudens ac loquax foret, humana tamen oblivione quadam praepeditus, haec obscure mihi aliquantulum interpretaretur; et ego ob meam nimiam extantem imperitiam, his erudiri ut congrueret nequirem. Sed tandem vi divina quodammodo cogente, et propriam, ut beatus Augustinus ait, exhibente dignationem, ac praebente occasionem aptam, precantibus vobis praebui assensum et prout quivi verbis interpretatis ex tribus voluminibus multo tempore capere ea quibus instrui ardenter cupiebamus, libellum ex eis quamvis imperito sermone contexui. Quod vero ne accideret formidaveram, acci-

Digitized by Google

dit te perficiente. Quam ob rem praefati interpretis Christophori scilicet reverendi sacerdotis per totum volumen cum illud ederem, addidi ex mente et ratione propria, innumera verba quae congrua mihi visa sunt ad ornamentum favoris Dei sanctique Iohannis, et ad deprecandum eundem, ac vituperandam imperatricem huius inimicam. Plurima tamen quae ab interprete ad plenum ut se habent dicta sunt, propter fastidium legentium praetermisi. Iudicavi enim quod sufficeret excellentia tantum nota esse, ad declaranda eximii viri merita nosse desiderantibus. Ex quibus a nemine, ut reor, debeo depravari; nam fere cuncti structissimi et sanctissimi historiographi haec in plerisque libris cum eos conderent egerunt, si diligenter quisque scrutetur. Triumphare nos semper ex cunctis hostibus, summi sacerdotis Iohannis, cunctorumque sanctorum meritis ac precibus, efficiat omnipotens ac clemens Dominus.

Clausula vero leonini operis ita se habet.

Haec pauca de magnis virtutibus tuis, sancte Iohannes, ad aedificationem proximorum et laudem tuam legenda, ego omnium christianorum ultimus meritis, ingenio, memoria, et intellectu existens, quamvis rusticano modo, cum multo tamen ut nosti labore, pio amore tuo devictus edidi. Tu benigne dignare pro multis ista suscipere, et quasi diserto sint sermone composita imputare; et fac perpetuo mihi prodesse indigno, cunctisque horum lectoribus pariter et auditoribus. Pia etiam cum dilectione acuentes et petentes a me, ut hunc libellum gloriosae actionis ac passionis tuae de graeco sumens, latino sermone componerem; et qui

Digitized by Google

sumptus proprios ex fide et amore tui ad hoc opus efficiendum expendit, collaborantesque mihi in hoc opere, alienentur per te a cunctis noxis, et magnis in hoc saeculo a Deo patre, atque in futuro maximis ditari praemiis mereantur.

Codex nobilis vaticanus litteris langobardicis saec. XII. scriptus, pag. 142. exhibet compendium primi libri institutionum div. litter. Cassiodorii, intermixtis quandoque, sed raro aliis auctoribus, quos inter Beda non semel occurrit. Unum tamen est praedicti compendii capitulum, pertinens ad Cassiodorii cap. XVI, quod ab ipsa editione tam immaniter differt, ut novum potius sit habendum, ideoque a nobis commode hic recitabitur.

CASSIODORII SUPPLEMENTUM.

Ad confirmationem fidei catholicae, et haereticorum praecavendas insidias, legendi sunt duodecim libri beati Hilarii, quos de sancta trinitate profunda et dissertissima nimis oratione conscripsit. Sancti quoque Ambrosii quos de eadem re ad Gratianum principem designavit. Sancti Augustini ·XV· libri de sancta trinitate curiosa intentione legendi sunt, nec non et liber eius qui dicitur de definitione ecclesiasticorum dogmatum ·LV· capitulis conscriptus, quorum primum sic incipit: credimus unum Deum esse patrem, eo quod habeat filium. Ultimum ita: propter novellos legis latores qui ideo animam tantum ad imaginem Dei creatam dicunt. Eiusdem ad Petrum diaconum de fide sanctae trinitatis libri ·II·, quorum secundus in capitulis distinctus est ·XL· Primum incipit sic: firmiter tene, et nullatenus dubites, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum. Ultimum ita: fir-

Digitized by Google

miter tene et nullatenus dubites aream Dei esse ecclesiam catholicam. Eiusdem de vera religione liber ·I· De doctrina christiana libri ·IIII· De agone christiano liber I. Liber eiusdem quasi philosophiae moralis, quem pro moribus instituendis atque corrigendis ex divina auctoritate collegit, quem appellavit speculum. Nec minori studio legendi sunt eiusdem de civitate Dei libri ·XXII·, in quibus et Babylonia confusa civitas diaboli, et splendida Hierusalem urbs domini Christi, in hominum conversatione competenti diversitate monstrantur. Scripsit etiam de hac re ·V· quaestiones de novo testamento ad Honoratum presbyterum, et octoginta tres alias mirifica deliberatione formatas. Legenda sunt etiam dicta sancti Athanasii ad cognoscendam veritatem catholicae fidei. Ad Epictetum epistolam unam in capitulis quattuor. De sacramento fidei. De incarnatione Domini. De Spiritu sancto. Epistola fidei suae ad Theodosium Aquileiam missa. Altercatio eius contra Sabellium et Photinum. Eiusdem altercatio contra Arrium. Item sancti Augustini de fide catholica contra omnes haereses. Eiusdem, qui libri in canonibus recipiantur. Eiusdem de Spiritu et anima. Eiusdem ad Dardanum capitula ·III· Sermo eiusdem de unitate trinitatis incipit ita: nativitatem Domini secundum carnem (1). Finit sic: sed vos qui Domino servitis et eius praecepta servatis. Tractatus eiusdem de expositione symboli liber ·I· Sermo eiusdem de incarnatione Domini: legimus sanctum Moysen praecepta dantem populo Dei (2). Eiusdem de

(1) Est sermo CXXV. in appendice apud Maurinos editores, qui ipsum fortasse immerito inter spurios relegarunt.

(2) Hic item haud scio an immerito a Maurinis in appendice num. CCXLV. collocatus sit.

Digitized by Google

decem praedicamentis. Epistola Cyrilli episcopi ad Iohannem antiochenum. Epistola eiusdem ad Nestorium episcopum haereticum. Faustini presbyteri expositio fidei contra haeresem arrianam. Eiusdem de fide, quam breviter sibi mitti iussit Theodosius imperator. Iohannis Chrysostomi capitula ·IIII· Gregorii nazianzeni capitulum ·I· Basilii episcopi Cappadociae capitulum ·I· Damasi papae expositio fidei ad Paulinum episcopum antiochenum. Epistola Leonis papae ad Flavianum episcopum constantinopolitanum. Epistola eiusdem ad Iuvenalem episcopum hierosolymitanum. Epistola eiusdem ad palaestinos episcopos. Epistola eiusdem ad Pulcheriam de fide. Epistola eiusdem de fide ad episcopos constantinopolitanos. Epistola eiusdem ad synodum apud Nicaeam constitutam. Ordo gestorum synodi quae facta est in civitate chalcedonensi. Definitio synodi chalcedonensis. Epistola Leonis papae ad synodum apud Ephesum. De περὶ ἀρχῶν Origenis Adamantii apologia quam pro se misit Rufinus Anastasio urbis Romae episcopo. Epistola Hieronymi ad Marcellinum., et anapsychia de statu animae. Eiusdem ad Pammachium et Maronem de libris Origenis. Expositio Gelasii papae de duabus naturis domini nostri Iesu Christi. Sancti Faustini de trinitate libri ·II· Expositio symboli Rufini presbyteri ad Laurentium episcopum. Fulgentii de fide catholica, et de institutis ecclesiasticis liber ·I· Paschasii de Spirita sancto libri ·III· Alcuini (1) de trinitate libri ·IIII· Sed et liber Vincentii presbyteri Lirinensis insulae, quem de libris beati Augustini composuit, et misit sancto Xysto papae, utilis est pro hac re relegi. Si-

(1) Hinc cognoscimus auctorem huius supplementi partim certe diversum esse a Cassiodorio.

Digitized by Google

quis vero de Patre et Filio et Spiritu sancto aliquid summatim praeoptat attingere : nec se mavult longa lectione fatigare, legat Nicetae episcopi librum quem de fide et incarnatione (1) scripsit ; nec non beati Augustini librum de fide et incarnatione per interrogationem et responsionem compositus. Utiles etiam sunt ad instructionem ecclesiasticae disciplinae memorati sancti Ambrosii de officiis melliflui libri ·III·

Postquam dictum est cap. XXIII. de canonibus Dionysii, post illa Cassiodorii verba ecclesia romana complectitur, *sic prosequitur codex vaticanus.*

Contra haereses diversas sanctus Augustinus ad Quodvultdeum scribens, nominatim singulas notavit per capitula octoginta novem. Dein contexuit librum, *de his* quae unaquaeque haeresis defendit, incipiens a Simonianis usque ad Pelagianos. Tertio quid Eutyches et Nestorius sentiat. Exponit in ultimo semotim de aliis haeresibus. Decimo incipiens a Carpocratianis, finit in Eutychianis. Scripsit et de hac re Epiphanius pontifex libros mire venerandos. Philaster episcopus Brixiae scripsit de singulis haeresibus compendiosa brevitate librum ·I· quem alii Hieronymo deputant. Isidorus episcopus in etymologiis suis licet tactim, utiliter tamen de singulis haeresibus facit mentionem.

Denique alio in loco codex.

Inveni item de Pythonissa eiusdem praefati viri (S. Augustini)duos sermones habitos ad populum in basilica.

(1) Hos ego Nicetae libros ex codice vaticano ante hos annos edidi.

Digitized by Google

BREVIARIUM CODICUM

MONASTERII S. NAZARII IN LAURISSA

SEU LAURESHAMENSIS AD RHENUM

EX PERVETUSTO CODICE BIBLIOTHECAE PALATINAE VATICANAE, QUI FUIT OLIM EIUSDEM MONASTERII.

I. 1. Evangelium scriptum cum auro pictum, habens tabulas eburneas. 2. Item quattuor evangelia in alio codice. Item in tertio similiter. Item in quinto. 3. Item evangelium excerptum. 4. Lectionarium unum cum tabulis eburneis. Lectionarium in alio codice. Item in tertio. 5. Lectionarium et evangelium simul in uno codice. Item in alio similiter. Item in tertio similiter. 6. Duo libri missales in altario iacentes. 7. Item liber missalis decani Theotmari, Heimrichi, Otberti decani, Erkanfridi, Adalnoti, Ruodhardi, Selimanni, Isangari. Item missales qui fuerunt Runzolai, Samuhelis, Baboni, Randulfi, Alarici. 8. Item missales duo gelasiani. In totum numero XVII. 9. Collectarii tres.

II. 1. Homiliae sanctorum patrum de diebus dominicis, et diversis festivitatibus. Prima pars ab adventu Domini usque in septuagesimam. Secunda pars a septuagesima usque in pascha. Tertia pars a pascha usque ad festivitatem sancti Petri. Quarta pars a festivitate sancti Petri usque in adventum Domini. 2. Item homiliae sanctorum patrum in tribus codicibus divisae. 3. Item homiliae sancti Leonis in uno codice. 4. Item homiliae de resurrectione Domini, et ceteris festivitatibus. 5. Sex regulae sancti Benedicti. 6. Item regula sancti Benedicti, et coadunatio eiusdem regulae in uno codice. 7. Item coadunatio regulae. 8. Item regula sancti Benedicti, et vita sancti Chutberti, et hymni, et amnales * in uno codice. 9. Antiphonarium integrum unum. 10. Graduale unum. 11. Antiphonaria duo de cantu nocturnali 12. Passiones sanctorum martyrum per totum anni circulum in codicibus quattuor divisae. 13. Psalteria duo.

* ita cod.

Digitized by Google

III. 1. Liber expositionum lectionum evangelii, et ceterarum lectionum per totum annum. 2. Liber expositionum super regum Hrabani Mauri. 3. Lib. de institutione clericorum Hrabani Mauri. 4. Lib. computandi item Hrabani. 5. Homil. sancti Gregorii de pascha. 6. Item eiusdem de pascha. 7. Item eiusdem de adventu Domini. 8. Item alius liber de adventu Domini. 9. Item tertius. 10. Collectiones Samuhelis de opusculis sancti Gregorii. 22. Explanatio sex dierum sumpta ex opusculis sancti Augustini et sancti Ambrosii et ceterorum. 12. Tria volumina de medicina. 13. Liber Felicis Capellae.

IV. 1. Lib. genesis, exodus, leviticus, numeri, deuteronomium, iudicum, Ruth in uno codice. 2. Item ipse liber et regum et paralipomenon, in uno codice. 3. Septem epistolae Pauli, et actus apostolorum in uno codice. 4. Lib. omnium prophetarum in uno codice. 5. Item in alio codice. 6. Proverbia Salomonis, ecclesiastes, cantica canticorum, Iob, Tobias, Iudith, Hester, Esdras, Machabaeorum, lib. omnium prophetarum in uno codice. 7. Item proverbia Salomonis, et sapientia, et ecclesiasticus, in uno codice. 8. Liber Iob in uno codice. Item ipse liber in alio codice. 9. Lib. Tobiae, Iudith, Hester, et Esdras, in uno codice. 10. Actus apostolorum, et VII epistolae canonicae, et apocalypsis, in uno codice. 11. Omnes epistolae Pauli, et actus apostolorum, et apocalypsis in uno codice. 12. Item omnes epistolae Pauli in alio codice. 12. Item in tertio codice. 13. Item epistolae Pauli in quarto codice.

V. Historia ecclesiastica Eusebii lib. XI. in uno codice. 2. Historia Iosephi lib. XI. in uno codice. 3. Iosippi lib. V. de eodem historiographo. 4. Historia Orosii lib. VII. in uno codice. 5. Chronica Eusebii, Hieronymi, et Bedae in uno codice. 6. Tripertita historia lib. XII. Socratis, Sozomeni, Theodoriti, in uno codice. 7. Gesta Pontificum romanorum in uno codice. 8. Libri Clementis decem in uno codice. 9. Gesta Francorum Gregorii turonensis lib. V. in uno codice. 10. Historia Iordanis de summa temporum seu origine Romanorum liber I. 11. Pompeii Trogi epitoma lib. XLIIII in uno codice. 12. Favii Claudii Gordiani de aetate mundi et ho-

Digitized by Google

minis, reservatis singulis litteris per singulos libros ab ·A· usque ·Z·, sed desunt nobis libri ·XI·, in uno codice.

VI. 1. Excidium Troiae lib. I., et historia Daretis phrygii de exitu Romanorum, in uno codice. 2. Liber Aethici cosmographi in uno codice. 3. Annaei Flori epitoma Livii romanae historiae in libris ·CXLII· in uno codice. 4. Libellus Quinti Iulii Hilarionis de origine mundi usque ad resurrectionem Christi. 5. Item in eodem libello Hieronymi chronica excerpta. Inde Idacii ab anno primo Theodosii augusti usque ad Iustinianum, in uno codice. 6. Solini Polyhistor de situ orbis terrarum, et mirabilibus, in uno codice. 7. Item libri antiquitatum Iosephi historiographi a duodecimo usque ad nonum decimum in uno codice.

De opusculis sancti Augustini.

VII. 1. Tractatus sancti Augustini in Iohannem ·XII· in uno codice. In alio ·LII·, in tertio ·LXX· 2. Eiusdem de civitate Dei contra paganos libri XXII., id est in uno volumine ·X·, in alio ·VII·, in tertio ·V· 3. De concordia evangelistarum lib. IIII. in uno codice. 4. Contra Faustum manichaeum lib. II. in uno codice. 5. De sancta Trinitate libri ·XV· in uno volumine. 6. De arte musica libri ·VI· in uno codice. 7. Libri XIII. confessionum in uno codice. 8. Liber qui appellatur speculum, in uno codice. Item ipse liber in alio codice. 9. Libri duo retractationum in uno codice. Item ipsi libri in alio codice. 10. Interrogationes Orosii et responsiones sancti Augustini. 11. Responsiones contra capitula obiectionum vincentianarum, praefatione praemissa. 12. Item sententiae excerptae ex libris sancti Augustini adversus Manichaeos. 13. Lib. sancti Augustini contra Iudaeos, qui sic incipit: beatus apostolus Paulus. 14. Responsiones Prosperi contra impugnationes haereticorum, quas contra lib. Augustini de praedestinatis opposuerunt. 15. Item quaestiones ex lib. sancti Augustini excerptae, id est ad Marcellinum de perfecttione iustitiae, et ex libro de spiritu et littera, nec non ex libro de quantitate animae, et ex lib. ad Dardanum, et ex eo quod Dominus dixit ad latronem, hodie mecum eris in paradiso. Hi omnes in uno codice.

Digitized by Google

VIII. 1. Excerptio Eutypii ex libris sancti Augustini, pars prima a primo capitulo usque ad ·CLXVIII· in uno codice. Item a ·CLXVIII· capitulo usque in finem in alio codice. 2. Sancti Augustini de doctrina christiana lib ·IIII· in uno codice. 3. De genesi ad litteram lib. ·XII· in uno codice. 4. Super psalmos in ·X· voluminibus. 5. De sermone Domini in monte. Item ipse in alio codice. 6. De spiritu blasphemiae. 7. Et liber sancti Fulgentii de praedestinationes Dei. 8. Soliloquiorum libri duo in uno codice. Item ipse liber in alio codice. 9. De immortalitate animae. 10. Interrogationes Orosii, et responsiones sancti Augustini, et cetera ex opusculis sancti Augustini, excerptum in uno codice. 11. De genesi contra Manichaeos lib. ·II· 12. Contra epistolam fundamenti Manichaeorum lib. ·I· 13. Academicorum lib. ·III· 14. De ordine lib. ·II·, in uno codice. 15. Ad Dulcitium de octo quaestionibus, et cetera quae in prima pagina huius libri adnotata sunt, in uno codice. 16. Quaestiones in Matthaeum, in Lucam, in Iohannem, in uno codice. 17. In epistolam Pauli ad Galatas.

IX. 1. Defloratae sententiae sancti Augustini, et epistola Bedae presbyteri de mansionibus filiorum Israhel. Item de eo quod ait Esaias: et claudentur ibi in carcerem, et post dies multos visitabuntur, in uno codice. 2. Enchiridion, et collatio beati Augustini de Trinitate a se ipso ad semetipsum. Et altercatio legis inter quendam Theophilum christianum et Simonem iudaeum, in uno codice. 3. Sermo sancti Augustini de patientissimo Iob. Et de virtutibus Domini. Et tractatus symboli. Et de divinatione daemonum, in uno codice. 4. De catechizandis rudibus. 5. Altercatio sancti Augustini et Feliciani arriomanitae. 6. Explanatio in epistolam Pauli ad Romanos. 7. Aurelii Augustini libri numero ·XII· in symbolum. Et de quattuor virtutibus caritatis ·I· De cantico novo ·I· De ·IIII· feria unus. De cataclysmo unus. De tempore barbarico unus. Contra Felicianum arrianum unus. De fide catholica sancti Ambrosii lib. unus, in uno codice.

X. 1. Expositio symboli sancti Augustini et sancti Hieronymi contra haereticos, in uno codice. 2. Item eiusdem de disciplina christianorum. 3. Relatio de haeresibus, et epistola sancti Ambrosii ad Augustinum episcopum de haeresibus.

Digitized by Google

Adnotatio interrogationum Caelestii pelagiani, et responsionum sancti Augustini pari numero digestarum, in uno codice. 4. Homiliae sancti Augustini super epistolam Iohannis numero ·X., in uno codice. 5. Item in alio codice. 6. Ad Valerium de nuptiis et concupiscentia, in uno codice. 7. De Trinitate a ·XIII· libro usque in finem, in uno codice. 8. Liber de abusivis. Interrogationes sancti Augustini de quaestionibus fidei. Exemplar fidei sancti Hieronymi presbyteri. Et symbolum quod composuit Theodorus archiepiscopus Britanniae insulae. Et liber Gregorii nazianzeni, in uno codice.

XI. 1. Augustini ad episcopum Eutropium et Paulum de perfectione iustitiae hominis. 2. Adversus quinque haereses. 3. De libero arbitrio voluntatis, et de vera religione, in uno codice. 4. Libri tres de utilitate credendi ad Honoratum. Et ad eundem de gratia novi testamenti, et de natura boni, in uno codice. 5. De beata vita, et de inmortalitate animae, in uno codice. 6. Excerptio Prosperi ex libris de Trinitate sancti Augustini. 7. Libri ·VIII· sancti Augustini, in uno codice. 8. Eiusdem de pastoribus. 9. In librum geneseos contra Manichaeos. 10. De libero arbitrio libri duo. De vera religione lib. I, in uno codice. 11. Sermo sancti Augustini in epistolam ad Romanos. 12. Eiusdem ad Consentium lib. ·I·, et eiusdem de mandacio lib. ·I·, in uno codice. 13. De agone christiano, et ad Aurelium de opere monachorum, in uno codice.

XII. 1. Liber quaestionum veteris ac novi testamenti centum viginti septem, in uno volumine. (*Omittimus heic scribere singularum quaestionum titulos; sunt enim illae quae extant in maurina editione T. ·III· ad appendicem reiectae.*) 2. Liber de ·LXXXIII· quaestionibus. (*Harum item omittimus singulos titulos.*) 3. Quaestiones in Matthaeum numero ·LI· (*Omittimus pariter titulos singulos.*) 4. Quaestiones in evangelium Lucae. (*Harum quoque omittimus titulos.*) 5. Eiusdem in Iohannem. 1. De Samaritana. 2. De resurrectione Lazari. 3. Ad id quod scriptum est, quod baptizabat Iesus plures quam Iohannes, quamquam ipse non baptizaret, sed discipuli eius. 4. De annis quadraginta sex aedificationis templi. 5. De centum quinquaginta piscibus.

Digitized by Google

XIII. Eiusdem de diversis causis, maxime de apostoli epistolis capitula exposita 1. De eo quod scriptum est, mihi autem adhaerere Deo bonum est. 2. De eo quod scriptum est ·LX· sunt reginae, et ·LXXX· concubinae. 3. De eo quod in apostolo scriptum est, an ignoratis fratres? scientibus enim loquor! 5. De eo quod scriptum est in apostolo, existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis 6. De eo quod idem dicit, o homo, tu qui es, qui respondeas Deo? 6. Ad id quod scriptum est, tunc et ipse filius subiectus erit, qui illi subiecit omnia. 7. De eo quod apostolus dicit, absorpta est mors in victoria. 8. De eo quod scriptum est, invicem onera vestra portate. 9. De eo quod scriptum est, et habitu inventus ut homo 10. De eo quod scriptum est, in quo habemus redemptionem peccatorum in remissione, imago invisibilis Dei. 11. De temporibus aeternis. 12. De hereditate Dei. 13. De eo quod Iacobus apostolus dicit, quoniam fides sine operibus mortua est. 14. De eo quod scriptum est, quem enim diligit Dominus corripit. 15. Eiusdem de ·III. quaestionibus 1. Eum qui ut vult vivit, beatum esse. 2. De aequalitate filii. 3. De pascha. Omnia in uno codice.

XIV. Sermones sancti Augustini diversi. 1. De libertate arbitrii ad Valentinum. 2. Admonitio quantum sermo Dei valeat ad correctionem. 3. Quotiens anima peccaverit, toties vulneratur. 4. De versu, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores. 5. De novacula acuta. 6. De adulescente in evangelio, cui dixit Dominus, si vis venire ad vitam, serva mandata. 7. De non inebriando ad festivitates martyrum.. 8. De martyribus. 9. De hominibus habentibus aurum.. 10. De baptizatis et fidelibus. 11. De psalmo Deus ultionum. 12. De thesauris congregatis. 13. De eo quod scriptum est, iugum meum suave est, et onus meum leve. 14. De lectione apostoli ubi dicit, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. 15. De laude pacis. 16. De evangelio, qui vos spernit, me spernit. 17. Instructio ad fideles. 18. de eleemosynis. 19. De eo quod scriptum est, si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum. Et in Salomone innuens oculis cum dolo, congregat hominibus maestitiam; qui autem arguit palam, pacem facit. 20. De timore. 21. Item de timore Dei. 22. De

Digitized by Google

sensu animae. 23. De paenitentiae fructibus. 24. De misericordia. 25. De paenitentia agenda. 26. Item de paenitentia. 27. De pace. 28. De decimis. 29. De castitate, vel alia diversa. 30. De eodem. 31. Item de eodem. 32. Item de eodem. 33. Item de eodem. 34. Item de eodem. 35. Proverbia de voracitate gulae. 36. Ad divitem eremitam. 37. De virginitate. 38. Ad virginem. 39. De libertate arbitrii. 40. Eiusdem de martyrio, in uno codice.

XV. Item sermones sancti Augustini. 1. De unico filio et de puero centurionis. 2. De linguae molestia. 3. De eo qui incidit in latrones. 4. De muliere in adulterio deprehensa. 5. De Lazaro suscitato. 6. De vite vera. 7. De latrone cum Christo crucifixo. 8. De iudicio Salomonis. 9. De Abessalon. 10. De Helisaeo. 11. De Ioseph. 12. De muliere quae perfudit super caput Iesu. 13. De exodo. 14. Ubi introivit Iesus ianuis clausis. 15. De nativitate Iohannis. 16. De Petro et Paulo, 17. De martyribus. 18. De Iona. 19. De epiphania. 20. De duobus caecis. 21. De profluvio mulieris. 22. De martyribus. 23. De resurrectione Domini. 24. De exodo. 25. De resurrectione Domini. 26. De die octavarum. 27. De eo cui ager uberes fructus adferret. 28. De nativitate Domini. 29. De natali sancti Stephani. 30. De caeco nato. 31. De pentecoste. 32. Item de pentecoste. 33. De Iob. 34. De natali sancti Cypriani. 35. De resurrectione Domini. 36. Rursus de resurrectione Domini. 37. De sacramento altaris. 38. De secunda die paschae. 39. De latrone qui cum Domino pependit. 40. De vite vera et palmite. 41. De tertio die paschae. 42. De quarto die paschae. 43. De quinto die paschae. 44. De sexto die paschae. 45. De Golia. 46. De Helia et Helisaeo. 47. De tribus pueris. 48. De solemnitate sanctorum Machabaeorum. 49. Item de natali sanctorum Machabaeorum. 50. De Iob, et beata Perpetua. 51. De sancto Petro ubi dicitur, pasce oves meas. 52. De ianuis clausis. 53. De lavandis pedibus. 54. Alius unde supra. 55. De resurrectione, ubi Mariae in horto apparuit. 56. De pentecoste. 57. De nativitate beati Iohannis, 58. De sancto Laurentio. 59. De quadragesima, quod est ascensio Domini. 60. De unico filio. 61. De Paulo alius. 62. De paralytico. 63. De filiis Zebedaei. 64. De

Digitized by Google

die paschae alius. 65. De lavandis pedibus alius. 66. De ascensione Domini alius. 67. De iudicio Salomonis alius. 68. De Helisaeo, ubi mulieri viduae oleum multiplicat. 69. De profluvio sanguinis. 70. Item de exodo. 71. Item de beato Stephano. 72. Ad competentes post traditum symbolum. 73. Item de nativitate sancti Iohannis. 74. Sermo omni tempore dicendus. 75. De unico baptismo. 76. Praefationes numero XIII. 77. De sancto Vincentio. 78. Item sermo de decollatione sancti Iohannis Baptistae. 79. De consolatione in adsumptione episcopi. 80. De Abraham. Omnia in uno codice.

XVI. Item sermones sancti Augustini diversi. 1. De Helia et Achab. 2. De evangelio ubi dicit ad alterum, sequere me. 3. De evangelio ubi dicit, vulpes foveas habent. 4. De psalmo centesimo et quinto. 5. De Iona. 6. Item de Iona. 7. De massa ficorum. 8. De psalmo sexagesimo sexto. 9. De psalmo vicesimo nono. 10. De psalmo nonagesimo secundo. 11. De natatoria Siloë. 12. De eadem iterum. 13. De evangelio, trans fretum discipulis. 14. De eodem iterum. 15. De quinque panibus et duobus piscibus. 16. De saturatione in deserto. 17. De Abraham. 18. De Helia. 19. De luctatione Iacob cum Deo. 20. De nuptiis in Galilaea. 21. De diluvio. 22. De psalmo quadragesimo secundo. 23. De psalmo nonagesimo primo. 24. De psalmo quadragesimo. 25. De cultura idolorum. 26. De evangelio Matthaei. 27. De partu Sarrae. 28. De Vezecha (Ezechia, an Rebecca?) 29. De Iesu Nave. 30. De Helisaeo et Sunamite muliere. 31. De exodo ubi eduxit Moyses filios Israhel. 32. De Abraham vitulum angelis ad refectionem adponente. 33. De Helisaeo et vidua 34. De psalmo quadragesimo sexto. 35. De Esau et Iacob. 36. De psalmo centesimo trigesimo secundo. 37. De epistola Petri prima. 38. De Iuda et Petro. 39. De eo quod dicit, dominus Deus tuus, Deus unus est. 40. De eo quod dicunt Iudaei Christo, nos de fornicatione nati non sumus. 41. De diapsalma. 42. De natali martyrum 43. De nataliciis martyrum. 44. De martyribus. 45. De psalmo centesimo decimo octavo. 46. De Iohanne quando ait, tu es qui venturus es, an alium expectamus. 47. De, multum me lava. 48. De Salomone. 49. De eo quod dicitur, sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. 50. De eo quod credidit Abraham

Digitized by Google

Deo. 51. De apostolo Paulo, quid vel ad Christum quid luceat. 52. De Salomone, sapientia aedificavit sibi domum. 53. De initio evangelii Iohannis. 54. De eo quod supra. 55. De Rachab et Iesu Nave, stet sol in Gabao et luna in Phalanga. 56. De membris ecclesiae. 57. De misericordia. 58. De viduis. 59. De sanctimonialibus. 60. Item alter tractatus; in uno codice.

XVII. Epistolae sancti Augustini numero XIIII. 1. Epistola sancti Hilarii ad sanctum Augustinum. 2. Item sancti Augustini ad eum data. 3. Eiusdem epistola ad Paulinum episcopum. 4. Item eiusdem adversus epistolam Iuliani pelagiani ad Bonifacium papam Urbis. 5. Epistola Alypii et Augustini ad Maximum medicum civem tenitanum. 6. Eiusdem ad Sixtum presbyterum urbis Romae. 7. Eiusdem ad eumdem presbyterum. 8. Item sancti Augustini ad Valentinum monachum adrumetinum. 9. Alia ad eundem monachum de Dei gratia. 10. Ad eundem de correptione et gratia adversus pelagianum. 11. Epistola sancti Evodii episcopi uzilensis ad abbatem Valentinum. 12. Epistola papae Caelestini urbis Romae ad episcopos gallos pro gratia Dei. 13. Eiusdem papae Caelestini de praevaricatione Adae et originali peccato et gratia Dei. 14. Commonitorium sancti Augustini quomodo sit agendum cum Manichaeis; in uno codice.

XVIII. Epistolae numero XXI. 1. Ad Volusianum. 2. Rescriptum Volusiani ad sanctum Augustinum. 3. Epistola sancti Augustini ad Volusianum. 4. Eiusdem ad Bonifacium episcopum, ut non noceat parvulis baptizatis iniquitas parentum cui nulla voluntate consentiunt. 5. Ad Armentarium et Paulinam de votis reddendis. 6. Ad Marcellinum de sacrificiis veteris et novi testamenti. 7. Ad Laetum de tolerantia passionum. 8. Ad Italicam de fide. 9. Ad Marcellinum de magis Pharaonis. 10. Ad Paulinam de videndo Deo. 11. Epistola Maximi grammatici madaurensis ad Augustinum. 12. Epistola Augustini ad Maximum. 13. Item Augustini ad Valentinum de pelagiano errore videndo. 14. Item Augustini de solutione quaestionum I. de resurrectione. II. de tempore christianae religionis. III. de sacrificiorum distinctione. IV. de eo quod scriptum est, in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. V. de filio Dei secundum Salomonem. VI. de Io-

Digitized by Google

na propheta. 15. Epistola Macedonii ad sanctum Augustinum. 16. Epistola sancti Augustini ad Macedonium. 17. Ad Paulinum episcopum de psalterio. 18. Ad Probam viduam de modo orandi. 19. Constitutio sancti Augustini quid observare debeant in monasterio constituti. 20. Sermo sancti Augustini de vita et moribus clericorum. 21. Item sermo ad ipsos ad quos supra; in uno volumine.

XIX. Epistolae sancti Augustini ·XL· Prima ad Valerium episcopum hipponiensem. 2. De vitandis conviviis. 3. Ad eundem Aurelium Augustini et Alypii, ut presbyteri praesentibus episcopis in ecclesia sermonem non faciant. 4. De monachis. 5. Ad senem Alypium de conversione Dioscori. 6. Ad abbatem Eudoxium. 7. Ad abbatem Sebastianum. 8. Ad Laetum consolatoria pro temptationibus quas patiebatur. 9. Ad Marianum exhortans eum ad fidem. 10 Ad Caelestinum diaconum de caritate. 11. Ad Restitutum diaconum de sufferentia malorum in ecclesia. 12. Ad Hipponienses pro malis in ecclesia tolerandis. 13. Ad Largum admonitio bonorum. 14. Ad Bonifacium de exhortatione vitae aeternae. 15. Ad Chrisimum. 16. Ad Peregrinum episcopum. 17. Alypii et Augustini ad Maximum medicum. 18. Ad Hesychium episcopum de fine saeculi. 19. Item rescriptum Hesychii episcopi ad Augustinum. 20. Item beati Augustini ad eundem Hesychium de fine saeculi. 21. Quaestio de resurrectione Christi et Lazari descripta ex libro quaestionum sancti Augustini contra paganos, ex principio. 22. Ad episcopum Theuterium pro Victorino manichaeo. 23. Ad Optatum episcopum de origine animae. 24. Ad Victorianum presbyterum de pressuris bellorum. 25. Ad Macrobium episcopum donatistam pro diacono quodam ne eum rebaptizaret. 26. Ad Marcellinum pro Donatistis reis ne occiderentur. 27. Ad Caecilianum adversus Donatistas. 28. Gesta a beato Augustino confecta quando sibi successorem elegit. 29. Item epistola Aviti papae Calcanio. 30. Augustini ad episcopum Quintilianum pro Galla et Simplicida. 31. Ad Felicitatem et Rusticum de correptione. 32. Ad Ecdiciam cur nesciente viro suo bona sua distribuerit. 33. Ad Seleucianam inquirentem utrum Petrus apostolus baptizatus sit. 34. Ad Italicam de corpore mediatoris, si corporeis oculis videat substantiam Dei. 35. Item

Digitized by Google

epistola sancti Evodii ad beatum Augustinum de ratione etc. 36. Item alia de virginitate beatae Mariae, et de corpore filii Dei 37. Item alia de quaestionibus supra scriptis, et de quaestione epistolae Petri apostoli. 38. Item beati Augustini ad eundem de visionibus somniorum. 39. Item alia de ratione ac Deo, de corpore Domini et de de visionibus somniorum. 40. Ad Augustinum Macedonius, si sapiens in hoc saeculo beatus est. 41. Augustini ad praedictum Macedonium; in uno codice.

XX. Homiliae sancti Augustini quinquaginta. 1. De versu psalmi: quis est homo qui vult vitam, et cupit videre dies bonos? 2. Item de detractoribus, de versu psalmi: sedens adversus fratrem tuum detrahebas. 3. De verbis apostoli ubi dicit: quae sit latitudo, altitudo, longitudo, et profundum. 4. Hic instruit quomodo nobis facere possumus amicos de iniquo mammona. 5. De vitando odio et fratre diligendo, et quis sit adversarius noster in via. 6. De diligendis inimicis, et bene illis faciendo, ut qui inimici erant convertantur et amici fiant. 7. Admonitio de divitibus, ut cupiditatem devitent, et facile tribuant pauperibus bona sua. 8. De eo quod dicitur: beatus qui post aurum non abiit. 9. De verbis apostoli redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. 10. De versu psalmi: expecta Dominum, et viriliter age. Et de eo quod dicit, ne tardes converti ad Dominum. 11. De confessione peccatorum, et cetera. 12. De eo quod scriptum est: ne tardes converti ad Dominum. 13. De periculo sacerdotis, et de divite cuius ager uberes fructus attulit. 14. De martyribus et gratia Dei. 15. Excerpta de libris sancti Augustini, qualiter vera et perfecta dilectio debeat custodiri. 16. Ut non solum lingua sed et moribus laudetur Deus; quia quale est quod cogitatur in corde, tale est quod procedit in opere. 17. De gratia Dei. 18. De sancto Helia et de patientia Iob. 19. Ubi dicit in evangelio de elemosynis faciendis. 20. De die octavarum infantum. 21. De capitulo quinquagesimi psalmi, et de peccato David. 22. De evangelio ubi dicit, esto consentiens adversario tuo. 23. De remissione peccatorum. 24. De natali sancti Augustini. 25. De natali suo. 26. Admonitio ut silentium in ecclesia praebeatur. 27. De tribus modis paenitentiae. 28. De arbore ficulneae quia per triennium fructum non dederat.

Digitized by Google

29. De psalmo quadragesimo nono ubi dicit: Deus manifeste veniet. 30. De evangelio ubi dicit: remittite et remittetur vobis. 31. De verbis Domini ubi dicit per prophetam: meum est aurum et meum est argentum 32. De David et Golia. 33. Homilia presbyteri Heraclii, ubi Petrus ambulabat super aquas. 34. Sancti Augustini, de eo quod Christianorum tempora praedicta sint, et ut reges terrae converterentur ad Dominum; et de serpente. 35. De eo quod scriptum est de domino Salvatore: ascendit sicut virgultum, et sicut radix de terra sitienti. 36. De eo quod scriptum est: cor meum et caro mea exultaverunt. 37. De eo quod scriptum est: ego sum veritas et via, et de vera caritate. 38. De eo quod scriptum est: qui amat animam suam, perdet eam. 39. Admonitio sancti Augustini; ubi ostendit multos esse gradus in caritate. 40. Homilia de misericordia. 41. De quadragesima et remittendo fratri. 42. De paenitentia. 43. De oratione dominica. 44. De eo quod ait Salvator: ego veni ut faciam voluntatem eius qui misit me. 45. De Iohanne Baptista. 46. De visione beati Petri apostoli, et de Cornelio centurione. 47. De principio psalmi centesimi septimi decimi, confitemini Domino. 48. De elemosynis. 49. De divite foeneratore. 50. De mulier curva; in uno codice.

XXI. Item homiliae sancti Augustini XXIIII. 1. De quattuor virtutibus caritatis. 2. De paenitentia. 3. De ieiunio et oratione. 4. Admonitio ad populum. 5. De morte. 6. Increpatio contra dolosum et iracundum. 7. De quadragesimae abstinentia. 8. De cogitationibus. 9. Increpatio contra eum qui diu iram pectore tenet. 10. De decimis. 11. De futura vita cogitandum. 12. De oratione dominica. 13. De divite. 14. De pace. 15. De flagellis Dei. 16. De nativitate Domini secundum carnem. 17. Liber eiusdem de virginibus. 18. De carne superba. 19. De quinta feria in passione. 20 De sexta feria. 21. De latrone. 22. De duobus latronibus. 23. De cruce et latrone. 24. De pace. 25. Et in eodem codice vita sancti Augustini, et indicium omnium librorum eius. 26. Sancti Iohannis constantinopolitani de conpunctione. 27. Et doctrina sancti Severini episcopi. 28. Et altercatio sancti Ambrosii contra eos qui animam non confitentur esse facturam; in uno codice.

Digitized by Google

XXII. 1. Aurelii Augustini de natura et origine animae, ad Renatum lib. ·I· 2. Item ad Petrum presbyterum de eadem re lib ·I· 3. Item ad Vincentium de eadem re lib. ·II· 4. Sermo Arrianorum, ubi numeri propterea sunt locis singulis adnotati. 5. Aurelii Augustini respondentis contra istam non fidem sed Arrianorum perfidiam. 7. Item eiusdem epistola ad Casulanum presbyterum de ieiunio sabbati, 8. Item eiusdem contra adversarium legis et prophetarum lib. ·II·, in uno codice.

XXIII. Tractatus sancti Augustini. 1. De quadraginta duabus generationibus, quas enumerat Matthaeus evangelista ab Abraham descendens usque ad Christum, et inveniuntur ·XLI· Et de septuaginta septem generationibus, quas Lucas evangelista a baptismo Domini ascendens per Abraham usque ad Deum perveniens enumerat; et de Ioseph, et de Maria. 2. Tractatus kal. ian. contra paganos. 3. De falso mediatore diabolo, et vero mediatore Christo. 4. De resurrectione. 5. Qualis erit in resurrectione futura vita iustorum. 6. In psalmum ·LXXXI· quo dicitur: Deus stetit in synagoga Deorum. 7. De testimoniis scripturarum contra Donatistas et contra paganos. 8. Habitus Boseth cum pagani ingrederentur. 9. Habitus Tignicae de apostolo: o altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei. 10. Et de psalmo quinquagesimo nono: Deus reppulisti nos. 11. Et de psalmo centesimo decimo octavo: bonum est mihi quod humiliasti me, ut discam iustificationem. 12. Ex eo quod dictum est: ego sum via, veritas, et vita, et cetera. Hic subiungitur de sepultura catechumenorum. 13. Tractatus per epiphanios de praedicatione prophetica testamenti novi, sublato veteri; et de abolitione sacrificiorum veterum et de institutione novorum 14. De capitulo evangelii ubi nuntiatur adventus Domini in novissimo die. 15. Tractatus contra avaritiam et luxuriam. 16. De trium mortuorum significatione, quos secundum evangelium Dominus suscitavit. 17. De die nativitatis Iohannis Baptistae. 18. Item de natali sancti Iohannis, et de voce et verbo. 19. Sermo habitus de die natalicia apostolorum Petri et Pauli. 20. De natali sancti Iohannis. 21. Sermo habitus de decem chordis Chusa. 22. Sermo de caritate. 23. Tractatus de obedientia christiana. 24. De

Digitized by Google

volumine. 3. De civitate Dei, in volumine uno. 4. Psalterium in sex voluminibus. 5. Hypomnesticum contra Pelagianos. 6. Et tractatus in epistolas Pauli ad Rom. ad Gal. ad Ephes. ad Timoth. ad Thessal. ad Tit. omnes in uno volumine. 7. De genesi ad litteram. 8. Et de quantitate animae adversus Priscillanistas. 9. Et de natura animae ad Optatum episcopum. 10. Et de origine animae ad Renatum. 11. Item alius ad Petrum presbyterum. 12. Item duo ad Vincentium Victorem. 13. Item alii duo de nuptiis et concupiscentia ad Valerium. 14. Item liber Cassiodori de anima, omnes isti in uno volumine. 15. Contra Faustum. 16. Contra Donatistas. 17. Locutionum, et quaestionum, in volumine uno. 18. Retractationum libri duo. 19. Quinquaginta homiliae. 20. Et de consolatione mortuorum ad Paulinum, bis. 21. Et retractatio de sermone Domini in monte. 22. Et ordo epistolarum sancti Ambrosii episcopi; omnes in vol. uno. 23. Dialogus sancti Augustini ad Adeodatum eius carnalem filium, in vol. uno. 24. Eugyppii ex dictis sancti Augustini, vol. unum. 25. Lactantii vol. unum. 26. Augustini de doctrina christiana. 27. De vita christiana. 28. De professione iustitiae. 29. De resurrectione mortuorum. 30. Augustini de XX· quaestionibus. 31. Ad Valerium de corpore Domini. 32. Epistolae Augustini quindecim. 33. De mendacio. 34. De gratia et libero arbitrio ad Valentinum. 35. Super epistolam Iohannis. 36. De disciplina christianorum. 37. De fide et operibus. 38. De adulterinis coniugiis. 39. De bono coniugali. 40. De sancta virginitatis ad Iulianum. 41. De baptismo. 42. Epistolae Daciani (1) in volumine uno. 43. Super Iohannem. 44. Alcuini liber de laude psalmorum. 45. Libri tres sancti Hieronymi in volumine uno. 46. Sancti Remigii tractatus. 47. Cyclus paschalis ex libro ·VI· originum Isidori hisp. 48. Sancti Hieronymi explanatio in Amos prophetam.

II. Sancti Hieronymi. 1. Contra Iovinianum, bis. 2. Contra Helvidium. 3. Contra Vigilantium. 4. Super Esaiam, Ezechielem, Danihelem, super Hieremiam cum lamentationibus, super Oseam, Iohelem, Abdiam, Michaeam, Naum,

(1) Puto scribendum *Paciani*.

Digitized by Google

Abbacue, Sophoniam, Aggaeum, Zachariam, Malachiam. 5. Nomina Hebraeorum. 6. De laude psalmorum. 7. Concordia regularum. 8. Super epistolam Pauli ad Galatas. 9. Epistolae Hieronymi. 10. Prosperi vol. unum. 11. Isidori etymologiarum volumen. 12. Eiusdem de summo bono. 13. Eiusdem regula canonica. 14. Eiusdem officiorum. 15. Isidori (Mercatoris) decreta pontificum. 16. Sancti Ambrosii de baptismo. 17. Eiusdem super Lucam. 18. Item super beati immaculati in via. 19. Eiusdem super epistolas Pauli ad Rom. et ad Cor. 20. Eiusdem hexaemeron. 21. Ambrosii Autperti super apocalypsin. 22. Gregorii moralia. 23. Eiusdem super Ezechielem. 24. Registrum. 25. Pastoralis. 26. Paterius ex Gregorio. 27. Gregorii in Esaiam, vol. unum. 28. Gregorii dialogus. 29. Bedae martyrologium. 30. Eiusdem super psalmos. 31. Super actus apostolorum. 32. Liber de computo. 33. Chronicum. 34. Historia Anglorum. 35. Scintillarium. 36. Amalarii de ordine ecclesiarum. 37. Apponii in cantica canticorum libri ·XII· Hunc monasterii nonantulani deperditum codicem recuperavit monasterio Baptista Prignanus anno 1450. Nonnulli item ex his sequentibusque codicibus dicuntur concessi ab abbate monasterii nonno Michaëli.

III Incipiunt opuscula conscripta divinarum rerum scientiae. 1. Eucherii libri tres. 2. Liber sancti Augustini, qui graece enchiridion appellatur. 3. Disputatio beati Cerealis episcopi contra Maximinum arriomanitam, libri duo. 4. Agnelli epistola ad Armenium de ratione fidei. 5. Libellus Fausti confessoris. 6. Fides edita a sancto Ambrosio episcopo. 7. Eiusdem de spiritu sancto. 8. Item eiusdem testimonium de patre et filio et spiritu sancto. 9. Regula fidei catholicae facta a nicaena synodo. 10. Hieronymi regula fidei catholicae contra omnes haereses. 11. Item explanatio fidei catholicae. 12. Sancti Ambrosii de bono mortis. 13. Notitia regionum et civitatum, quibus apostolorum et evangelistarum venerabilia corpora requiescunt. 14. Distinctiones beati Bernhardi 15. Eiusdem sermo de admirandis beneficiis. 16. Liber epistolarum Dionysii ariopagitae, et planctus beatae Mariae. 17. Sermones dominicales, festivi, quadragesimales, de temporibus, et de sanctis. 18. Liber supputationum sancti

Digitized by Google

Augustini. 19. Liber consiliorum. 20. Tabula definitionum. 21. Nomina bibliae interpretata.

Extat in bibliotheca vaticana copiosus catalogus codicum celeberrimi monasterii Casinensis, ad Paulum II. P. M., ut stemma impressum demonstrat, ab eius temporis abbate transmissus, simplici quidem ratione sed tamen accurate confectus; quem si totum heic exscriberemus, nimia res foret; praesertim quia Montfauconius in Bibl. MSS. T. I. p. 215. haud ex nostro quidem exemplari, sed ex ipsa apud Casinum codicum inspectione, iampridem dedit excerpta. Nosque ipsi in tomo III. Script. vet. part. 2. p. 163. gustum aliquem dedimus. Pauca igitur delibare nunc placet, quae eruditis gratiora vel utiliora fore arbitramur. Ceteroqui diplomatica Casini monumenta, quae in parte catalogi vat. posteriore scribuntur, quaeque Montfauconius indicta praeteriit, adamussim omnia lectoribus repraesentabimus. Praevia quidem Casinensis abbatis brevissima epistola ita se habet.

Beatissime Pater. Post pedum opuscula beatorum etc. Non potui inceptum opus tam brevi perficere, quia in eo continentur multa et varia librorum genera, quae citius notare non poteram et mittere sicut cupiebam, ut infra Beatitudo vestra poterit cognoscere. Laboravi tamen pro viribus, ut Sanctitati vestrae satisfacerem.

EX CATALOGO CODICUM CASINENSIUM.

I. 1. Sancti Hilarii liber mysteriorum. Incipit: multiplex. 2. Eiusdem sancti Hilarii super epistolis canonicis. Inc. septem 3. Sancti Augustini liber de natura innocentiae. Incip. innocentia. 4. Eiusdem de misericordia. Inc. admonet nos. 5. Eiusdem de reconciliandis paenitentibus. Incip. inreparabilis esset. 6. Eiusdem de contemptoribus temporalium rerum. Inc. admonet nos. 7. Eiusdem de paenitentia. Inc. obtabile erat. 8. Eiusdem de fide et symbolo. Inc. quoniam. 9. Eiusdem de lapsu primorum parentum (*omittitur initium*)

Digitized by Google

10. Eiusdem de diligendo Domino (*aeque omittitur initium*) 11. Eiusdem de numero et computo. Inc. de numero igitur. 12Eiusdem fides romanae ecclesiae. Inc. credimus in unum. 13. Eiusdem quaedam orationes. 14. Eiusdem de theorica speculatione. Inc. summa Trinitas. 15. Alius de eodem argumento non completus. 16. Bedae excerpta de diversis operibus sancti Augustini, in epistolas Pauli. 17. Alcimi (Alcuini) ex libris Augustini de Trinitate. Inc. in Deo autem. 18. Sancti Ambrosii versus de Trinitate. Inc. omnia terna vigent. 19. Sancti Hieronymi in apocalypsin. Inc. diversos. 20. Eiusdem liber super Iosue. Inc. in divinis voluminibus. 21. Eiusdem de praestantia con... Inc. quidam de praestantia con... 22. Eiusdem ex Origene translatio cantici canticorum. Inc. beatissimo papae. 23. Eiusdem expositio brevis super quatuor evangeliis. Inc. in primis. 24. Eiusdem de fide et aliis diversis. Inc. credimus. 25. Isidori de incarnatione. Inc. Iudaei nefaria. 26. Eiusdem de astronomia. Inc. operatio divina. 27. Eiusdem de exitu Salomonis, et diversis aliis. 28. Ildelfonsi in apocalypsin ad Anatolium. 29. Arnobii monomachia (dialogus). Vigilius de laude virginum.

II. 1. Evagrii de altercatione Simonis iudaei et Theophili christiani. Inc. gratissima mihi. 2. Eiusdem altercatio ecclesiae et synagogae. Inc. duarum matronarum. 3. Fortunati super credo. Inc. summa totius. 4. Prudentii tricassini flores psalmorum. 5. Bruni liber de laudibus ecclesiae. 6. Auxilii presbyteri quaestiones. Inc. omnis divina scriptura. 7. Gennadii liber. Inc. credimus unum Deum. 8. Praefationes et quaestiones de psalmis. Inc. psallere qui docuit. 9. Expositio fidei catholicae. 9. Ars computi. Inc. quoniam sicut ait beatus Augustinus. 10. De diversis, et de tempore Antichristi. 11. Adelini (Adelmi) liber in versibus de laudibus sanctorum. Inc. omnipotens genitor. 12. Vita duodecim fratrum in versibus. Inc. unde nimis. 13. Item versus Arichis principis. 14. Psalterium in versibus. 15. Expositiones octo in diversis codicibus cantici canticorum. 16. Expositiones variae in vetus novumque testamentum. 17. Liber qui dicitur glossa novi et veteris testamenti. 18. Liber evangeliorum cum tabulis argenteis. 19. Liber de vera amicitia et caritate.

Digitized by Google

Inc. quoniam diminutae sunt. 20. Maximi monachi liber de obscuris rebus sacrae scripturae. 21. Tractatus varii de vitiis et virtutibus. 22. Sanctae Brigidae vita in versibus. 23. Chronica magna per quatuor libros. 24. Chronica Saxonum. Inc. flore virginali. 25. Chronica regis Gulielmi. Inc. selet. 26. Chronica qualiter recuperata sit Hierusalem. Incip. tempore quo Alexander. 26. Chronica summorum Pontificum. Incip. fuit temporibus. 27. Alia chronica summorum Pontificum. Inc. dominus Iesus Christus. 28. Chronica quaedam nova parva. Inc. quoniam ut olim. 29. Chronica varia. 30. Legum Longobardorum liber in diversis codicibus. Inc. siquis hominum. 31. Summa legum Longob. Inc. compotes huius. 32. Federici imper. constitutiones. Incip. post mund. 33. Liber contra haereticos. Incip. quotiens. 34. Oddonis abbatis liber sermonum. Inc. sibilabit Dominus. 35. Sermonum codices plurimi.

III. 1. Petri ostiensis liber qui incipit: hodie sacrum. 2. Eiusdem disputatio super diversis. Inc. domno Desiderio. 3. Eiusdem liber directus monasterio casinensi. Inc. domno Desiderio; cum multis aliis. 4. Pauli diaconi expositio regulae sancti Benedicti. Inc. obsculta vetus. 5. Richardi abbatis casinensis expositio in eandem regulam. Incip. reverendis in Christo. 6. Smaragdi abbatis expositio in eandem. Inc. quisquis. 7. Bernhardi abbatis casinensis expositio in eandem. Inc. igitur. 8. Eiusdem speculum monachorum. Inc. praecordialissimis. 9. Petri diaconi expositio in eandem regulam, et textus ipsius. 10. Eiusdem Petri diaconi de quaestionibus veteris testamenti. 11. Eiusdem altercatio in conspectu imperatoris. Incip. igitur. 12. Eiusdem Petri de locis sanctis. Inc. domino suo. 13. Eiusdem liber de dignitate romani imperii. Incip. haec digni. 14. Eiusdem sermones diversi. 15. Eiusdem de inventione corporis sancti Benedicti. 16. Eiusdem liber de ortu et obitu virorum sanctorum coenobii casinensis. Inc. Benedictus signifer; cum multis aliis. 18. Domini Guarferii monachi casinensis homiliae. Inc. verba sanctorum. 17. Alberici monachi casinensis visio. Inc. humanae. 19. Collatio abbatis. Inc. in illo coetu. 20. Rodulfi expositiones super leviticum. 21. Liber de Patarenis contra Mat-

Digitized by Google

Matthaeum Ugentem. 22. Liber de primatu romanae ecclesiae. 23. De medicina codices multi. 24. Gualterii liber de gradibus ecclesiasticis. Inc. hoc opus. 25. Gulielmi de iisdem. Inc. Hierusalem. 26. Rofridi monachi casinensis liber. Inc. sanctissimo. 27. Vigilius de laude virginum.

IV. 1. Liber Cresconii in versibus. Inc. victoris. 2. Rufini expositio in epistolas Pauli. Inc. volentem. 3. Claudii episcopi in easdem. Inc. amantissimis. 4. Exberti in easdem. Inc. sicut prophetae. 5. Expositiones aliae multae in easdem. 6. Remigii in easdem, quae dicuntur in ecclesia. 7. Remigii super psalterium in littera longobardica. 8. Zachariae super quatuor evangelia in littera latina. 9. Petri Damiani sive ostiensis dictionarium. Inc. dilectissimis. 10. Bengarii (Berengarii) diaconi expositio in cantica canticorum. Inc. epithalamium. 11. Iohannis Cardinalis apparatus super sextum. 12. Eiusdem apparatus super Clement. 13. Rofridi beneventani super iura canonica. 14. Rothardi generalia. 15. Liber de astrologia. Inc. ordo mensium. 16. Alius de eadem. Inc. Aratus 17. Liber de musica. Inc. sicut vocis. 18. Alius de eadem. Inc. commansio. 19. Tertius de eadem. Inc. erant antiquitus. 20. Item liber de omnibus artibus quae in mundo fiunt. Inc. dispositio. 21. Auxilii liber vocabulorum. Inc. alpha et o mega. 22. Brutonis (alibi Butoni) item de vocabulis. Inc. difficiles studio. 23. Hildrici monachi casinensis liber grammaticalis. Inc. primum utique. 24. Philemonis (Palaemonis) de proprietate sermonis. Inc. adipiscitur. 25. Liber quidam epistolarum. Inc. durissima Cassiodori monachi. Et sunt morales. 26. Martialis (puto Gargilii Martialis) geometria. Inc. formatoris. Cum versibus quibusdam in principio. Inc. ab Iove.

Digitized by Google

REGISTRUM MONASTERII CASINENSIS.

I. Monemus bibliothecarios, qui pro tempore fuerint, ut pervigilem curam de his registris habeant, maxime in migratione seu obitu et successione praelatorum, quia tunc officiales et praesertim notarii solent mutari. 1. In primis registrum Petri diaconi et bibliothecarii casinensis monasterii in littera longobardica continens primo privilegia summorum Pontificum, ac deinde Imperatorum romanorum, Regum, Ducum, Comitum, aliorumque nobilium, et fidelium donationes; quod incipit «reverendissimo patri Senioretto». Et finalis charta incipit sic «anno Domini» et habet chartas .CCXLIX. 2. Item registrum Bernhardi abbatis, et hoc registrum est valde necessarium, quia est reformatum et restauratum, omnium bonorum montis Casinensis, et vaxallorum; et fuit perditum, sed tempore domini Petri de Tartaris est inventum, et tractat quomodo vaxalli et alii subditi monasterii tam saeculares quam spirituales personae se subducebant et subtrahebant a dominio monasterii Casinensis, et a certis debitis servitiis, et impensis, exquisitis et inauditis fraudulentiis; quae quidem vir reverendissimus et sagacissimus sua industria reformavit ac restauravit, et eosdem et omnes alios sub ditione monasterii, sicut iustitia requirebat, subdidit et subegit usque in hodiernum diem, sicut patet legentibus hoc idem registrum. Et incipit ipsum registrum «terras personas». Et finalis charta incipit «imperator Federicus». Et habet chartas ·CCX· 3. Item aliud registrum pariter eiusdem domini Bernhardi, de conditionibus et inquisitionibus generaliter factis per ipsum. Incipit «conditiones civitatis sancti Germani». Et finalis charta incipit «abbatia». Et habet chartas ·LXXXIII· 4. Item registrum domini Thomae. Incipit «anno Domini millesimo». Est autem prima charta rupta et lacerata. Et finalis charta incipit «eodem die». Et habet chartas ·CC· 5. Item registrum breve Domini Thomae abbatis Casinensis, seu statuta et inquisitiones generales per totam abbatiam Casinensem utiles valde. Includuntur in eo registro conditiones et servitia castrorum abbatiae Casinensis, et inquisitiones generales factae per abbatem Bernhar-

Digitized by Google

dum felicis recordationis. Et incipiunt « statuta facta ». Et finalis charta incipit « in festo beati Benedicti ». Et habet chartas ·XLII· 6. Registrum Ramundi episcopi Casinensis. Fuit concremutum in sancto Germano per quendam. 7. Registrum domini Agneli de Posta episcopi Casinensis, cum registro domini Andreae abbatis Casinensis in uno volumine. Et incipit ipsum registrum « in nomine Domini ». Et finalis charta incipit « registrum ». Et habet chartas ·CVIII· 8. Registrum privilegiorum antiquum valde de sancto Agnelo de Formis, et plures chartae in principio ipsius registri sunt consumptae, et incipit « Gregorius episcopus ». Et finalis charta incipit « poenas ». Et habet chartas ·CLIX· 9. Registrum Bernhardi suprascripti novum. Incipit « conditiones » quod scriptum fuit per fratrem Hieronymum de Corneto vicarium et vices tenentem monachum Casinensem anno Domini ·(M)CXL· Et finalis charta incipit « praepositura S. Petri ». Et habet chartas ·CXXX· 10. Registrum simile novum. Incipit « conditiones » quod scripsit frater Iohannes de Moravia, in quo etiam continentur et multa alia, videlicet constitutiones et statuta Casinensis coenobii, nec non capitula visitationis clericorum et religiosorum. Item documenta danda clericis. Item privilegia Lotharii, et Innocentii papae, et aliorum. Item numerus omnium praepositurarum et ecclesiarum subiectarum monasterio Casinensi. Et finalis charta incipit « sacramentum ». Et habet chartas ·CLXXII· 11. Registrum decanatus Thomasii decani Casinensis. Incipit « in nomine Domini nostri ». Et finalis charta incipit « ego notarius Bartholomaeus ». Et habet chartas ·CXIII· Sed per dominum Urbanum quintum praedictum officium est totaliter cassatum et irritum factum, sicut patet in privilegio eiusdem. Praedicta autem registra scripta sunt in chartis Cortis in testimonium perpetuitatis. 12. Registrum domini Agneli episcopi Casinensis scriptum in charta bombycina. Incipit « statutum factum in sancto Germano ». Et habet chartas ·XLIIII· Prima charta et ·VII· ultimae non sunt scriptae. 13. Registrum domini Petri abbatis in charta bombycina. Incipit « tabula praesentis registri ». Et penultima charta incipit « abbatis Nicolai ». Et habet chartas ·LII· 14. Registrum

Digitized by Google

eiusdem. Incipit «in Dei nomine amen». Habet chartas ·XLIII· 15. Registrum eiusdem. Incipit « frater Petrus ». Et ultima charta incipit « quolibet ». 16. Registrum eiusdem. Incipit « tabula membrorum ». Finalis charta incipit « in civitate Sorana ». Et habet chartas ·LXXXIII·

Privilegiorum confirmationes per Pontifices romanos monasterio Casinensi concessorum.

II. 1. Confirmatio de omnibus iuribus, bonis, et praerogativis monasterio Casinensi concessis per papam Zachariam. 2. Confirmatio de omnibus iuribus et immunitatibus eidem monasterio per papam Paschalem ·II· 3. Confirmationes similes per papam Callistum ·II· 4. Per P. Paschasium ·II· 5. Per P. Victorem. 6. Per Alexandrum ·II· 7. Per Gregorium. 8. Per Innocentium ·II· 9. Per Innocentium ·III· 10. Per Clementem ·IIII. 11. Alia amplior per eundem Clementem ·IIII· 12. Per Urbanum ·II· 13. Per Urbanum ·V· 14. Aliae quinque per eundem Urbanum ·V· 15. Per Alexandrum. 16. Per Clementem ·III· 17. Per Bonifacium ·VIIII· 18. Per Honorium ·IIII· 19. Alia per eundem. 20. Per Anastasium ·IIII· 21. Per Honorium 22. Per Caelestinum ·III· 23. Per Callistum ·II· 24. Per Honorium ·III· 25. Per Alexandrum ·III· 26. Per Bonifacium ·VIII· 27. Per Lucium ·III· 28. Per Innocentium ·V· 29. Per Bonifacium ·VIII· 30. Per Martinum.

Confirmationes Imperatorum, Regum et Principum. Item aliae summorum Pontificum.

III. 1. Confirmatio generalis per Henricum imperatorem ·II· 2. Generalis per Othonem. 3. Generalis item per Othonem. 4. Generalis et amplior per Lotharium. 5. Generalis per Conradum. 6. Generalis per Othonem. 7. Generalis per Lotharium. 8. Generalis per Othonem ·II· 9. De iure fisci per Henricum. 10. Confirmatio per Pandulfum et Landulfum principes capuanos. 11. Per papam Bonifacium ·VIII· 12. Per eundem. 13. Per Paschalem. 14. Per Honorium ·III· 15. Per cardinalem Benedictum legatum. 16. Per Honorium ·III· 17. Per eundem. 18. Per Gregorium ·VIIII· 19. Per Paschalem ·II· 20. Per Clementem ·IIII· 21. Per eundem. 22. Per Pa-

Digitized by Google

schalem ·II· 23. Per Bonifacium ·VIIII. 24. Per eundem. 25· Per eundem. 26. Per Urbanum ·II· 27. Per Bonifacium ·VIIII· 31. Per Gregorium. 52. Per Urbanum. 33. Per Urbanum ·V· 34. Per Anastasium ·IIII· 35. Per Urbanum ·II· 36. Per Anastasium ·IIII· 37. Per Innocentium ·III· 38. Per Alexandrum ·II· 39. Per papam Leonem monachum casinensem. Per Leonem ·VIIII· 41. Per eundem. 42. Per Paschalem ·II· Per Urbanum ·II· 44. Per Gregorium ·VIIII· 45. Per Alexandrum ·III· 46. Per Callistum ·II· 47. De iuribus et finibus per Pandulfum et Landulfum principes capuanos. 48. Confirmatio per sententiam de libertate monasterii per iudices imperatoris Federici latam. 49. Confirmatio alia per Pandulfum et Landulfum principes Longobardorum. 50. Alia per praefatos Pandulfum et Landulfum. 51. Confirmatio de libertate et immunitate vaxallorum monasterii per Landulfum. 52. De omnibus finibus et iuribus abbatiae per Pandulfum principem. 53. Alia per Pandulfum principem de singulis confinibus. 54. De platea capuana per Landulfum principem. 55. Confirmatio generalis concessionis per Pandulfum et Landulfum principes capuanos. 56. Confirmatio generalis per Hugonem et Lotharium reges. 57. Confirmatio generalis per praefatos Pandulfum et Landulfum principes. 58. De casali Saletano cum castello Falla apud Cetrarium. 59. De iuribus et confinibus per Alnulfum principem. 60. Confirmatio generalis de omnibus bonis et iuribus per Pandulfum principem. 61. Confirmatio alia de monasterio sancti Agneli in Formis per Richardum principem. 62. Confirmatio per Pandulfum principem de castro sancti Agneli in Thoditis. 63. Confirmatio specialis de omnibus per Othonem imp. 64. Confirmatio generalis de omnibus donationibus factis monasterio per Pandulfum principem. 65. Confirmatio de publico pertinens ad monasterium per Hugonem et Lotharium reges. 66. Specialis de Pedemonte, Plumarola, Aquino et Teramo per Iordanem principem. 67. Specialis de castro sancti Ambrosii et sancti Andreae per Pandulfum principem. 68. Generalis omnium iurium per Pandulfum et Landulfum principes. 69. De sancta Maria de Cingulis, et ceteris iuribus per Pandulfum principem. 70. Confirmatio excommunicationis contra

Digitized by Google

Sangermanenses rebelles. 71. Confirmatio de castro Collis cum pertinentiis suis et iuribus per Othonem imp. 72. Specialis per Pandulfum et Landulfum principes. 73. De ecclesia sancti Georgii de Vari, et sanctae Mariae in Sardinia per archiepiscopum legatum. 74. De confinibus monasterii per Landulfum et Antenulfum principes capuanos. 75. XI. 1. Statutum Henrici imperatoris super exemptione monasterii et rerum ac personarum suarum. 76. Statutum Federici imperatoris quod ubi non est subscriptio et consensus monachorum, contractus non valet. 77. Statutum Othonis imp. qui sub sua protectione suscepit monasterium et inlaesum praeservavit. 78. Mandatum Federici imp. ad omnes principes et barones ut praeservent monasterium in omnibus. 29. Constitutiones papae Clementis continentes praerogativas ecclesiarum et clericorum monasterii. 80. Constitutiones Honorii papae ·III· ad abbatem et conventum Casinensem multa continentes. 81. Transumptum de rebus concessis in Apulia, Calabria, et Terra laboris per ducem Gulielmum. 82. Transumptum speciale de rebus abbatis per ducem Rogerium. 83. Mandatum papale et commissio Bonifacii ·VIIII· de rebus monasterii alienatis sine subscriptione monachorum.

Oblationes.

IV. Oblatio ecclesiae sancti Agneli in valle regia, et confirmatio omnium bonorum intra et extra regnum per Othonem imp. 2. Oblatio de sancta Maria in Cingulis, et confirmatio per Rainulfum comitem. 3. De sancta Maria in valle regia cum montibus et aquarum decursibus per Pandulfum principem. 4. De castello quod dicunt Balantum cum pertinentiis suis, et de monasterio sanctae crucis per Rodulfum comitem. 5. De ecclesia sancti Agneli in valle regia per Othonem imp. 6. De ecclesia sancti Eustasii cum pertinentiis suis in comitatu Molisii per Rogerium regem. 7. De multis ecclesiis et bonis per Federicum imp. 8. De suprascriptis ecclesiis per Gonarium regem Turidanorum; videlicet sancti Petri Egulsibi, ecclesiae Mariae de Tergo, sancti Nicolai de Solio, sancti Petri de Murchi, sancti Michaëlis de Furicoso in insula Sardiniae. 9. De sancta Maria de Cingulis per Ro-

Digitized by Google

bertum comitem. 10. De sancto Nicolao de Eburgio per Barasonem regem et ducem Alboreae. 11. De ecclesia sanctae Mariae de Bubalo et sancto Helia de monte per Barasonem regem Turidanorum. 12. De sancto Michaële de Turricello, et sanoto Michaële de Furiceso in insula Sardiniae per Constantinum regem. 13. De sancta Iuluminata triventinae dioecesis per Robertum dominum castelli. 14. De sancto Nicolao de Nugubili, sancto Helia de Sitim in insula Sardiniae per Dompnicellum de sancto Petro in Murethis. 15. De sancto Nicolao de Solio cum certis bonis et iuribus in Sardinia per Fortunatum. 16. De sancta Maria de Torgo in Sardinia per Gunarium. 17. Oblatio commissa per papam Paschalem ordinario de sancta Agatha dioecesis aversanae. 19. De sancto Iuliano in Frisilono (Frusinone) per episcopum Leonem. 19. De ecclesia quae dicitur Passari cum pertinentiis suis per Rogerium ducem. 20. De ecclesia sancti Nazarii in territorio Terani per Pandulfum principem. 21. De exemptione sanctae Mariae in Cingulis per Pandulfum principem. 22. De ecclesia sancti Viti in Monte sanctae Agathae apud Feruzanum cum molendinis et aquis per Iohannem monachum. 23. De monasterio sancti Nicolai de Inpico, et sanctae Mariae de Giptiis, et sancti Lucii in Pedemonte per Iohannem comitem. 24. De ecclesia sancti Salvatoris, sancti Rufi et Nicolai Capuae per Landulfum et Adenulfum principes. 25. De monte sancti Eustasii, et de arcu in comitatu Balaensi per Landulfum et Adenulfum principes. 26. De sancto Magno dicto Ferneto dioecesis fundanae, et de quarta parte anguillarum de lacu sanctae Anastasiae per Richardum principem. 27. De sancto Agnelo in Formis cum hominibus et terris et pertinentiis suis per Richardum et Iordanum principes. 28. De sancta Sophia in Benevento per Pandulfum principem capuanum 29. De exemptione sanctae Mariae in Cingulis per Pandulfum et Landulfum principes. 30. De sancto Benedicto Hilarino de casa Gentiana de licentia piscandi in lacu et ceteris exemptionibus. 31. De sancto Benedicto Hilarino, et de omnibus iuribus in rebus aliâs concessis per Pandulfum principem. 32. De sancta Cruce de Pessulis prope Iserniam per Rodulfum comitem. 33. De monte sancti Archangeli de xeno-

Digitized by Google

dochio posito in monte Gargano per Henricum comitem. 34. De sancta Ularia in Cingulis per Randulfum comitem. 35. De Sancta Maria de Rostula in Sardinia per comitem de Azonibus. 36. De sancto Nicolao et sancto Archangelo per comitem Henricum. 37. De sancta Cruce de Peschis cum casali dioecesis iserniensis per Rodulfum comitem. 38. De sancto Magno dioecesis fundanae per Marinum et Iohannem duces et comites. 39. De monte sancti Nicandri, de ecclesia sancti Nicolai, de ecclesia sancti Thomae de civitate troiana per Robertum ducem. 40. De ecclesia sancti Iohannis de Pantanis, de ecclesia sancti Laurentii de Platta montis Castrapalombi, de ecclesia sanctae Mariae de Colle cum medietate sancti Blasii de Farneto cum molendinis et aliis rebus in territorio Pontiscurvi per Baulucellum normandum. 41. De castro Pastena et ecclesia sancti Agneli in Merulano, et ecclesia sancti Blasii in Pitha.

Aliae oblationes Imperatorum, Regum, et Principum de particularibus.

V. 1. Oblatio facta per Othonem imperatorem ad contemplationem papae Iohannis monasterio Casinensi, de Caieta, de civitate Fundana, de Suessa, de Theano, de Arpino, de castro Arcio, de Picinesco, de Atina, de Vico albo, de septem Fractis, de castro Furuli Selani, Galene, Sora, Aquino cum servis et ancillis et cum empatiis (emptitiis?) 2. De sancto Urbano et castro eiusdem, et Vico albo cum omnibus pertinentiis suis per Henricum imperatorem. 3. De rocca Bandre per Henricum imp. II. 4. De castro Malveti Atinensis, et rocca Albeni cum omnibus pertinentiis suis per Henricum imp. VI. 5. De rocca Bandre cum suis iuribus per Henricum imp. 6. De Pontecurvo, cum pertinentiis suis per Robertum comitem. 7. De Castellione in Apulia, et de remissione census etc. 8. De Vico albo et de oppido ipsius per Pandulfum et Landulfum principes. 9. De sancto Urbano et de oppido ipsius cum suis pertinentiis per Pandulfum et Landulfum principes 10. De Pontecurvo per Richardum principem capuanum. 11. De platea quae est in Capua, et fluvio Vulturno, et de castro Saracenesco per Pandulfum et

Digitized by Google

Landulfum Longobardorum principes. 12. De quarta parte comitatus, tracta quarta parte castri Fractarum per Marinum comitem una cum uxore sua. 13. De castro Fractarum cum Crapiata per Richardum et Iordanem principes. 14. De castro Subgii per Iordanum principem capuanum. 15. De castro Pitha per eundem principem. 16. De castro Terami per Richardum et Iordanum principes capuanos. 17. De castro Bandrae, et castello Vico albo, de sancto Urbano, de decima parte Atini, de Teramo, de Pedemonte et Mortula, de Cucurutio, de Turre ad mare, de castro Fractarum, de sancto Agnelo in Formis, de Scafato, cum confirmatione omnium finium abbatiae per Iordanum principem capuanum. 18. De castro Collis, et sancto Agnelo in Spano cum pertinentiis suis per Landulfum Longobardorum principem. 19. De rocca Bandre, et de castello sancti Urbani et de rocca ipsius, de Vico albo, de decima parte Atini, de Alveto Carnelli, et de confinibus monasterii per Richardum et Iordanem principes. 20. De castro Cetrarii, de Castellione in Apulia, et de multis ecclesiis in territorio Troiae, et de sancta Maria de Tropea cum tunacio et piscaria castri Cetrarii per Gulielmum ducem. 21. De castro Vitticoso cum ecclesia sancti Petri sita in Sexto, et ecclesia sancti Benedicti in Sexto, et ecclesia sancti Benedicti in monte per Libonem comitem. 22. De monasterio sancti Salvatoris in monte qui dicitur Cucurutium cum omnibus iuribus et pertinentiis suis per Iordanum principem. 23. De castro Serrae dioecesis Lavernensis. 24. De castro Subgii cum certis possessionibus circa Suessam per Hugonem. 25. De quarta parte Traietti et Fractarum, et de medietate castri Spinei per comitem Marinum cum uxore sua. 26. De alia quarta parte Traietti et Fractarum, et de medietate Spinei, et quarta parte monasterii sancti Marci et sancti Martini in territorio Fractarum per comitem Marinum et uxorem suam. 27. De monasterio sancti Salvatoris in monte, et de aquis, terris, et molendinis, et confinibus suis per Pandulfum et Landulfum principes capuanos. 28. De omnibus rebus quae sunt in Sicilia tam possessionibus quam servitiis per Tertullum patricium patrem beati Placidi . . . imperatorem. 29. De multis rebus existentibus infra et extra re-

Digitized by Google

gnum per Gregorium protospatharium imperatoris. 30. De quodam prato dicto Cerbarium, et de multis aliis possessionibus cum servis et ancillis in territorio civitatis Marsiae per Lotharium imperatorem. 31. De quibusdam terris et de platea civitatis capuanae per Landulfum principem. 32. De omnibus bonis infra regnum oblatis per Rogerium regem. 33. De curte cum servis et ancillis et bonis in territorio Canusiae per quendam nomine Iohannem Bertum. 34. De pedagiis et gabellis pro animalibus transeuntibus per Iordanum comitem. 35. De toto lacu Aquini per Adenulfum et ceteros comites Aquini. 36. De quadam starsia spatii CVI modiorum in territorio suessano per Gulielmum regem. 37. De quadam platea iuxta sanctum Benedictum in Capua per Iordanum principem. 38. De quadam aqua dicta Anglena, et de alia dicta Barca per Landulfum principem. 39. De Turre quae dicitur ad mare constructa iuxta fauces Garigliani per Pandulfum. 40. De domibus et terris in civitate Suessana per Richardum principem.

Donationes.

VI. 1. Donatio facta de Preta molara in loco ubi dicitur Pantanum dioecesis beneventanae. 2. De fluvio Lauri qui in civitate Lisina, ut possint in eo flumine facere molendina et piscari, per Pandulfum et Landulfum principes. 5. De piscaria in lacu Patria per Pandulfum principem. 4. De piscatione in dicto lacu per Pandulfum et Landulfum. 5. De tertia parte lacus Aquini per Iordanem principem. 6. De certis terris in territorio Theani per Pandulfum principem. 7. De massaria Flattina, et de Turre quae dicitur ad mare cum piscationibus suis per Iordanem principem. 8. De piscatione in lacu Patria, et remissione censuum in terris abbatiae per Pandulfum et Landulfum principes. 9. De molendino quod dicitur Peccia per Iordanem et Richardum principes. 10. De multis bonis stabilibus per Robertum principem capuanum. 11. De terris existentibus in territorio Troiae per Rogerium ducem. 12. De terris quae sunt in Salitano per dominam Rocham, confirmatum per Rogerium. 13. De certis bonis quae sunt in valle Granata extra territorium Castellionis de Apu-

Digitized by Google

lia per Rogerium ducem. 14. In territorio sancti Martini de quibusdam terris per Robertum comitem. 15. De monte Azo et aliis nominatis locis per Bernhardum comitem. 16. De rebus quae sunt in vico Salitano cum confinibus suis per dominam Rocham et Rogerium. 17. De territorio sancti Pauli de foresta pro aedificando monasterio per Guidonem comitem. 18. De terris in territorio Salitano cum servis ancillis et pertinentiis per dominam Rocham. 19. De molendino prope portam Mignani per Hugonem dominum dioti castri. 20. Donatio facta Simoni Caraciae de donis multis inde devolutis ad monasterium.

Conservatoria romanorum Pontificum.

VII. 1. Conservatorium papae Iohannis ad archiepiscopum neapolitanum, episcopum casertanum, et quemlibet ipsorum. 2. Conservatorium amplum papae Iohannis contra omnes occupantes et alienantes bona monasterii. 3. Clementis ·V· ad episcopum calucensem quatenus occupantes bona monasterii moneat et monitos excommunicet et. 4. Clementis (V) ad archiepiscopum sancti Bartholomaei in Pontecurvo, quatenus detentores omnes bonorum monasteri moneat, et monitos excommunicare curet. 5. Urbani ·V· ad neapolitanum, beneventanum, et troianum archiepiscopos, et quemlibet ipsorum. 6. Urbani ·V· ad aquinatem, verulanum, et soranum episcopos ad conservandum iura monasterii contra quosque. 7. Urbani ·V· ad neapolitanum et beneventanum archiepiscopos super revocatione omnium alienationum et locationum factarum in praeiudicium monasterii. 8. Gregorii ·XI· ad episcopum suessanum super revocatione consimili. 9. Gregorii (XI) ad neapolitanum, et capuanum, et aversanum episcopos. 10. Gregorii ·XI· ad neapolitanum et beneventanum archiepiscopos et venafranum episcopum. 11. Innocentii ·II· ad archiepiscopos in Sardinia manentes. 12. Bonifacii ·VIII· ad episcopum triventanum quô causam monasterii cognoscat et defendat, quae mota est supra sancta Maria de Cingulis. 13. Urbani ·V· ad episcopum fundanum pro recuperatione bonorum monasterii. 14. Innocentii ·VI· ad archiepiscopum neapolitanum, et abbatem miturnensem, et ab-

Digitized by Google

batem sancti Laurentii de Aversa pro recuperandis rebus monasterii. 15. Innocentii ·VIIII· ad caietanum episcopum quod omnia bona distracta et alienata debeat restitui facere monasterio Casinensi, non obstantibus quibuscumque. 16. Bonifacii ·VIIII· ad archiepiscopum pisanum, et arbonensem, et turritanum, ut procurent recuperationem bonorum monasterii distractorum. 17. Gregorii ·XI· ad archiepiscopum neapolitanum ut abbas et conventus Casinensis possint bona de quibus nulla habetur probatio alienare. 18. Bonifacii (VIIII.) ad archiepiscopum neapolitanum, et caietanum et ferentanum episcopos, contra occupationem bonorum monasterii.

Privilegia romanorum Pontificum.

VIII. Privilegium papae Urbani ·V· quo conceditur, ut conventus dimittat psalterium romanum, et utatur alio. 2. Eiusdem Urbani ·V· quo cavetur ut monasterium Casinense non teneatur ad aliqua gravamina quandiu in manu Pontificis fuerit. 3. Innocentii ·III· quo cavetur ut omnes contractus alienationis nullatenus teneant sine subscriptione monachorum saltem maioris vel sanioris partis. 4. Urbani ·V· quo conceditur ut singulae ecclesiae Casinenses per sanguinis effusionem vel seminis emissionem pollutae possint a quoque sacerdote reconciliari per antistitem aqua benedicta infusa. 5. Gregorii ·XI· de culpa et poena abbati et conventui Casinensi concessum. 6. Urbani ·V· de culpa et poena omnibus contribuentibus et iuvantibus a principio reformationis monasterii per annum continuum concessum. 7. Privilegium abbati Casinensi concessum ut possit duodecim monachos recipere. 8. Privilegium quo decernitur ut litterae quaecumque impetratae pro beneficiis ad monasterium spectantibus nullius sint vigoris, nisi tenorem huiusmodi bullae de verbo ad verbum contineant. 9. Gregorii ·XI· quo conceditur ut omnes tenentes beneficia monastica per collationem Papae vel eiusdem legatorum, parere teneantur abbati qui illos punire valeat et privare. 10. Urbani ·V· in quo continetur quod mitra baculus etc. quae habet ad praesens abbas Casinensis vel habere poterit in futuro ipse et successores, non sint reservata camerae apostolicae, nisi fiat de illis specialis mentio. 11. Clementis ·III· continens quae monachi tam in ca-

Digitized by Google

pite quam in membris in processionibus mortuorum possint deferre crucem incensum et aquam benedictam. 12. Urbani ·V· continens quod abbas Casinensis in quibuscumque monasteriis etiam sibi non subiectis in omnibus solemnitatibus possit dare benedictionem, nisi sit praesens ordinarius episcopus vel legatus apostolicus. 13. Lucii ·III· continens quod nuntii apostolici venientes ad sanctum Germanum, nonnisi per duos dies aut tres possint habere expensas a monasterio. 14. Urbani ·V· continens quod impetrantes beneficia monastica, nisi in litteris sint expressa mentio de exemptione ipsius monasterii, nullius intelligantur esse vigoris. 15. Urbani ·V· quod abbas Casinensis praeeminentiam habet inter ceteros abbates mundi, et sedere potest ante cluniacensem, marsiliensem, et cisterciensem, et ceteros abbates. 16. Urbani ·V· qualiter monasterium Casinense fuit reductum ab episcopatu ad abbatialem dignitatem. 17. Urbani ·V· quod ubi regnum Siciliae fuerit per apostolicam sedem interdictum, monasterium et eiusdem terrae nullatenus intelligantur interdictae, nisi de iis fiat specialis mentio. 18. Honorii ·III· quod bona in auro argento et vestibus nullatenus possint per quemcumque alienari. 19. Gregorii ·VIIII· quod bona erogata ad usus conventus non possint sine consensu maioris vel sanioris partis ad alios usus transferri, et litterae minime valeant sine sigillo conventus. 20. Leonis papae continens quod naves et mercimonia omnia monasterio vendenda vel emenda sunt exempta ab omni exactione in portu romano. 21. Alexandri ·III· continens quod animalia quaeque monasterii possint libere transire per Apuliam sine pedalio. 22. Clementis ·III· continens quod monachi Casinenses in processionibus mortuorum teneant praerogativam. 23. Alexandri continens quod in Benevento res emendae vel vendendae pro monasterio, iure plateatici vel passagii nihil solvant. 24. Urbani ·V· quo remittitur omne debitum aut servitium per abbatem ecclesiae praestandum. 25. Urbani ·V· continens translationem monachorum qui venerunt ad reformandum monasterium ex suo monasterio speciali. 26. Gregorii ·VIIII· ad archiepiscopum neapolitanum directum, quod abbas et conventus Casinensis possint bona occupata, de quibus probatio non habetur, alienare et permutare. 27. Urbani ·V· quod officium decanatus

Digitized by Google

mutetur in prioratum, et omnes redditus ipsius veniant ad communem mensam conventus. 28. Honorii ·III· quod ex donatione cuidam dominii per abbatem facta precibus ipsius Papae non possit construi ecclesia in praeiudicium monasterii. 29. Alexandri, quod abbas possit omnes abbatissas et moniales per quemcumque facere veleri et consecrari. 3b. Paschalis ·II· de xenodochio in monte Gargano. Vix potest legi. 31. Urbani ·V· quod omnes visitantes monasterium casinense in certis festivitatibus et diebus dominicis et quadragesimalibus, duorum annorum et duarum quadragenarum indulgentiam consequantur. 32. Innocentii ·VI· quod omnes visitantes monasterium Casinense certis festivitatibus, quinque annorum indulgentiam consequantur. 33. Innocentii ·VI. quod omnes visitantes ecclesiam casinensem diebus festivitatum sancti Benedicti, septem annorum indulgentiam consequantur et totidem quadragenarum. 34. Iohannis ·XIII· quod omnes visitantes ecclesiam Casinensem certis festivitatibus, unius anni indulgentiam consequantur. 35. Alexandri, quod omnes visitantes ecclesiam Casinensem in die consecrationis eiusdem, et in festivitate sancti Benedicti, unius anni et unius quadragenae veniam consequantur. 36. Rogerii Cardinalis quod omnes peregrini mares et feminae limina beati Benedicti visitantes, unius anni indulgentiam consequantur, et in festo ipsius unam quadragenam 37. Urbani ·IIII· qualiter exemit monasterium sancti Mauri de Francia, quod prius subiectum erat monasterio Fossatensi. 38. Innocentii ·III· quod omnes alienationes per abbates factae de possessionibus revocentur, et ad solvendum decimas et terraticum compellantur etc. 39. Gregorii ·XI· cum insertione litterae reginae, quod iustitiarii et capitanei in abbatia Casinensi procedere possint ex officio in quatuor casibus, dummodo legitimus accusator appareat. 40. Bonifacii ·VIIII· continens absolutionem abbatis Petri monachi Casinensis et suorum famulorum et familiarum qui interfuerunt obsidioni papae Urbani ·VI· 41. Urbani ·V· confirmans iurisdictionem temporalem, et subventionem faciendam abbati Casinensi per vaxallos etc. 42. Gregorii ·XI· cum insertione litterae reginae Iohannae, quo cavetur expresse quod iustitiarii non possint in abbatia ponere aliqua gravamina vel extorsiones vaxallis monasterii. 43.

Digitized by Google

Privilegium specialis confirmationis papae Gregorii cum insertione litterae reginae de certa taxa collectarum solvendarum per vaxallos abbatiae regiae maiestati. 44. Alexandri quod causae omnes criminales tractentur per officiales Casinenses. 45. Innocentii ·III· ad abbatem quod bona quaecumque ad officia Casinensia spectantia, si alienata fuerint, revocentur, et ad debitum singula compellantur. 46. Bonifacii ·VIIII· quod abbas et monachi Casinenses in articulo mortis possint eligere confessorem, qui facultatem habet absolvendi a culpa et poena. 47. Bonifacii ·VIIII· quod abbas Casinensis et omnes abbates et priores subiecti possint ecclesias violatas reconciliare per simplicem presbyterum, habita prius per episcopum aqua benedicta. 48. Gregorii ·VIIII· quod ecclesiae monasterii solitae per monachos gubernari, nullatenus possint clericis saecularibus concedi aut conferri. 49. Gregorii ·VIIII· ad abbatem Casinensem quod domus et apothecae in sancto Germano, quarum redditus dedicatus est ad emendum tunicas monachorum, nullatenus possint alienari. 50. Gregorii ·VIIII· confirmans omnes concessiones factas per abbates in usum monachorum, et necessitates infirmorum, et receptionem hospitum. 51. Gregorii ·VIIII· quod ecclesia sancti Pauli de Foresta clericis saecularibus nullatenus valeat concedi. 52. Gregorii ·VIIII· quod loca spectantia ad officia Casinensia nullatenus abbas praesumat alienare, et alienata studeat recuperare. 53. Innocentii ·VII· continens revocationes omnes quas praepositi priores et rectores ecclesiarum alienaverant. 54. Urbani ·VI· continens commissionem factam episcopo caietano super expoliatione facta per dominum Gurellum Caraffa de castro Peseara. 55. Clementis ·IIII· ad regem Siciliae quod ulterius non molestet vaxallos abbatiae Casinensis. 56. Honorii ·IIII· ad abbatem Casinensem quod ecclesiam sancti Pauli de Foresta clericis saecularibus non concedat. 57. Honorii ·III· de viginti unciis auri super Castellione, et quinque unciis super monasterio sanctae Mariae de Cingulis, deputatis in vestiendis monachis Casinensibus. 58. Alexandri ·III· quod abbas neque conventus teneantur ad solutionem aliam debiti contracti nomine monasterii, etiamsi creditores probaverint, non obstantibus litteris renuntiaticis vel ceteris in contrarium facientibus. 59. Caelestini ·III·

Digitized by Google

de revocatione et restitutione castri Seletanae monasterio Casinensi. 60. Caelestini ·III· de iurisdictione rocchae Bandrae concessae monasterio per modum cambii. 61. Clementis ·III· de viginti unciis auri super Castellione, et quinque in sancta Maria in Cingulis in usum vestium monachorum. 62. Ad archiepiscopos et episcopos in quorum dioecesibus sunt ecclesiae monasterio Casinensi spectantes, quarum detentores et bonorum ipsarum semel bis ter moniti, si non emendaverint, per abbatem Casinensem possint vinculo excommunicationis excommunicari. 63. Innocentii ·III· quod omnes alienationes factae per praepositos et officiales Casinenses debeant revocari. 64. Bonifacii ·VIIII. quod abbas Casinensis debeat recipere canones et pensiones de praeposituris collatis per sedem apostolicam, et visitare corrigere et removere ipsos praepositos quotienscumque opus fuerit, cum aliis pluribus immunitatibus. 65. Urbani ·VI· continens absolutionem omnium defensorum et recuperantium castra bona vel iura monasterii. 66. Gregorii ·VIIII. ad Stephanum ut interveniat apud imperatorem Federicum, quatenus liberam restituat monasterio Casinensi rocchan Dianulam, et Iudicam sancti Germani, quae spectant monasterio Casinensi. 67. Innocentii ·VII· quod omnia beneficia quae ad monasterium spectant per Sedem apostolicam concessa, ad monasterium revertantur sine ulla contradictione. 68. Clementis continens inter cetera excommunicationem contra Incubum sacrilegum et detentorem bonorum monasterii. 69. Honorii ·III· continens libertatem et immunitatem ecclesiae sancti Quirici subditae monasterio sancti Agneli Vallis lucis. 70. Martini ·V· de rebus et bonis Sacci et Cucurutii. 71. Bonifacii ·VIIII· quod bona occupata et minus iuste detenta, praescriptione centum annorum non terminentur, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. 72. Martini ·V· de absolutione et quietatione facta abbati et conventui Casinensi de quibusdam milibus florenorum quos debebat habere a praefato conventu pro redemptione ipsius monasterii de pecuniis praefato Papae facta. 73. Bonifacii ·VIIII· quod abbas Casinensis possit excommunicare omnes detentores bonorum monasterii, ubi ordinarii sint negligentes. 74. Lucii ·III· ad abbatem Casinensem et conventum, quatenus bona oblata pro usu infir-

Digitized by Google

mariae, inlibata maneant, et distracta revocentur. 75. Alexandri ·III· continens quod castrum Castellionis in ecclesia sanctae Mariae de Cingulis teneatur dare annuatim uncias viginti auri pro vestibus monachorum. 76. Innocentii ·III· quod alienationes factae per conventum omnino revocentur. 77. Caelestini ·III· quo inhibetur ne duo candelabra argentea, quae ipse praefato monasterio obtulerat, alienentur, sub poena excommunicationis. 78. Bonifacii ·VIIII· de concessione anni iubilaei, ut eadem indulgentia sit in ecclesia Casinensi. 79. Bonifacii ·VIIII· de exemptione decimarum quas debebat monasterium Casinense camerae apostolicae. 80. Gregorii quatenus monachi officiales teneantur bis in anno reddere rationem capitulo. 81. Urbani ·VI· ad abbatem Petrum Tartarum ut insurgat contra Iohannam reginam, et Nicomum de Iuvenazo et alios suos sequaces, qui schisma et haeresim in ecclesia romana posuerunt. 82. Processus abbatis Petri contra rebelles. 83. Privilegium comitis Guidonis de sancto Petro altae Forestae, et ceteris. 84. Urbani ·V·, Martini ·IIII·, Gregorii ·IIII·, privilegium indulgentiarum diebus festivitatum, valde amplum et utile 85. Bulla de remissione omnium peccatorum in articulo mortis.

Undecim privilegia aureis sigillis munita.

IX. 1. Privilegium Lotharii imperatoris ad abbatem Casinensem de omnibus ecclesiis, castris etc. per Reges, Imperatores etc. concessis. 2. Privilegium Henrici ·III· Romanorum imperatoris ad abbatem et conventum de omnibus confinibus. 3. Privilegium Henrici ·VI· imperatoris ad Rofredum abbatem et conventum de omnibus rebus huic monasterio datis etc. 4. Gulielmi regis Siciliae ad abbatem et conventum de immunitatibus concessis. 5. Guaymarii principis salernitani de confinibus et aliis pluribus castris. 6. Rogerii ducis Apuliae ad abbatem de omnibus rebus oblatis per multos. 7. Rogerii ducis ad abbatem et conventum de multis ecclesiis, castris et terris. 8. Rogerii ducis Calabriae ad abbatem et conventum de multis ecclesiis, castris, et terris. 9. Sytelgitae ducissae Calabriae de castris et locis. 10. Raonis teanensis comitis de molendinis et rebus concessis. 11. De omnibus immunitatibus monasterii, et multis rebus concessis.

Digitized by Google

NOTITIA CODICUM SESSORIANORUM.

I. Romanam basilicam, honori sanctae Crucis dicatam, in sessoriano palatio a Constantino magno et diva Helena augusta fuisse extructam, omnes sciunt. Huic basilicae, saeculo decimo iam paene desinente, monasterium cum nescio cuius ordinis monachis a Benedicto ·VII· PP. fuisse additum, narrat Raimundus Besutius in basilicae historia p. 39: deinde vero traditum dicit Casinensibus item monachis; postea Canonicis regularibus; mox eremitis Carthusianis; postremo monachis Cisterciensibus, qui saeculo ·XVI· derelicto sancti Sabae coenobio illuc transmigrarunt. Codicum vero numerum aliquem ibi omni tempore cum monachis extitisse, non est dubitandum: verumtamen bibliothecae illius, quae hodie adhuc magnam partem superest, verus habendus est fundator P. Hilarion Brancatius, vir saeculo ·XVII· Romae clarus, et apud Alexandrum ·VII· P. M., doctrinae plurimae merito, valde gratiosus. Is enim multos veteres codices ex italicis ordinis sui monasteriis, praesertim ex celebri nonantulano, in sessorianos pluteos contulit: atque ea, credo, causa fuit, cur Tiraboschius cum historiam Nonantulae adornaret, nihil propemodum codicum illic invenerit. Iam sessorianos sic auctos codices Ioachimus Besutius praeterito saeculo abbas et postea Cardinalis satis curioso catalogo describendos curavit. (Vide hist. basil. sessor. p. 212.) Atque hunc catalogum nuperus coenobii bibliothecarius P. Albericus Amator, non parum auxit, digessit, atque complevit. Neque vero hi sessoriani codices doctis viris non innotuerunt, veluti Holstenio, Morino, Martianaeo, Mabillonio, Fontaninio, Bonae, Vallarsio, Blanchinio, Ballerinii fratribus, Zachariae, et Bruno, quorum alii hos contulerunt, alii etiam anecdota quaedam inde extulerunt. Quandoquidem vero nobis pariter contigit, ut comiter saepe invitante monasterii abbate P. Xysto Benigno, favente optimo bibliothecario, codices illos atque catalogum non semel perlustraremus, iisque ad placitum uteremur, hanc qualemcumque potiorum codicum notitiam, iuxta ordinem novum, paucis paginis comprehendendam putavimus.

Digitized by Google

